JUGULUM CAUSÆ,

SEU

Nova, Unica, Compendiaria, & unâ propemodum periodo comprehensa, Ratio:

Per quam
Totus doctrinarum Romanensium complexus, de quibus lis est inter Protestantes & Pontificios; & unà Papa, ejusque imperium, funditùs evertuntur.

Veritas odium parit.



Greg. 1. Homil. 7. in Ezech.


Si de veritate Scandalum sumitur, utilius permittitur nasci Scandalum, quàm ut Veritas relinquatur.





Juxta Exemplar *Londinense*,
Anno 1671.

I.



Potentissimo & Serenissimo Angliæ, Scotiæ, Franciæ, & Hiberniæ *Regi*, CAROLO II. *Fidei Defensori*, &c.



Æcce nova Ratio (Rex Maxime) Papam, ejusque imperium, tum Ecclesiam & Religionem Romanensem evertendi, à Decessore Tuo *Henrico* VIII. inchoata, à Successoribus, *Edoardo* VI. *Elizabetha*, *Jacobo* I. & *Carolo* I. aucta; à Sacra Tua Majestate ulterius

terius provecta; at demum à me primùm Scripto comprehensa, non debuit sub alio Defensore & vindice, quàm Sacra Tua Majestate apparére, contra Romam, totis animis, lacertis & armis in me ruituram, nec proculdubiò laturam sine ira & odio tantum veritatis titulo ipso libri præferri & promitti; ac deinceps corpore dissertationis palam fieri. Eòque magis properat hæc opella sub Tuo Augusto Nomine prodire, quod ejus author in bonas spes sit pertinax, futurum, ut exemplo Sacratissimorum Capitum, quæ jam seculum integrum, & quod excurrit, orbi Tuo Britannico præfuerunt, Tuoque imprimis, excitentur mundi Monarchæ, qui Papam adorant & ejus vestigia lambunt, ut juxta illam Ratio-

nem,

nem, quam exhibemus, tandem se exolvant fraude illâ vocabulorum *Ecclesiæ, Pontificis Maximi, Sanctitatis, Potestatis Ecclesiasticæ & Spiritualis*, quo involucro, tectorio & mangonio, Papa jam octingentos annos, illis fucavit & obduxit suum imperium terrenum, quod in hosce Unctos Domini injustâ & iniquâ vendicatione & occupatione extruxit & ædificavit.

Sed, nec in eam spem solummodò properat labor meus per Tuam Majestatem innotescere Regibus, qui se in clientelam Papæ dederunt, sed & ut accedat Tuæ Magnæ Britanniæ, hic fructus longé uberrimus, quem juxta diagramma nostræ dissertationis promovendo instas, nempe ut Tua, & Ecclesia & Respublica, in unum corpus aliquando

coalescant, sub Te omnium Regum qui Papæ jugum excussserunt Potentissimo, & nulli præterquam Deo (multò minus Papæ) rationibus reddendis obnoxio: Eoque solo & unico capite & gubernatore Ecclesiæ Britannicæ; tum ut fiat litium & legum, ut in optima republica, compendium; tum id maximé, quod omnes boni, arrectis animis, & ardentibus votis, eoque nomine in sinu gaudent, Te facturum sibi spondent, sperant & exoptant, ut in religionis negotio populis tuis recté credendi & faciendi potius incutias voluntatem, quàm imponas necessitatem; ut non expatier in omnia commoda, quæ accederent ex nostra opella, quæ plané refert venam metallicam, cujus fructus, non in summo, sed in imo largiùs respon-

det

det alté fodienti: ut non vereat affirmare illam suâ utilitate certare cum quaquam commentatione, quæ non est de fide; ut quæ semel cognita, comperta & arrepta, plus unâ, aut horâ, aut schedulâ perficeret, non solum ad Papam, ejus imperium, totumque religionis Romanæ & missaticum apparatum diruendum, sed & ad reconciliandos in Europa (Anglia imprimis) inter se collisos Protestantes, circa modum in Sacris, aut imperii, aut obsequii, quàm hactenus toto seculo factum est, ab immenso agmine doctorum, cum in orbe Christiano, tum maxime in Tuo, haud absimilium turbæ illi promiscuæ in Actis Apostolorum, cujus variis & dissonis clamoribus & sensibus fiebat, ut nec ipsa se, nec alii eam in-

intelligerent: quò magis jucundâ hâc me ſuſtento ſpe, fore ut per rationem propoſitam in noſtra diſſertatione, omnia illa examina velut exiguo pulveris jactu conſidant & conquieſcant: nec Ampliſſimi Antiſtites, non reverendi Presbyteri Eccleſiæ Anglicanæ, imo ne qui ſenſibus ab illis abeunt, quoſque invidioſis (proh dolor!) appellationibus vulgus in Presbyterianos & Independentes diſcriminat, refragentur, noſtræ unâ periodo comprehenſæ Rationi Papam debellandi, unde tot emolumenta in ſubditos Veſtræ Sacræ Majeſtatis ſunt redundatura.

Deum humillimé & venerabundé precor, ut animum det Tuæ Majeſtati, hanc rationem noſtram, cum inſtillandi extra Angliam terrarum Monarchis & Dynaſtis,

Dynaſtis, quos Papa ſibi mancipavit; tum ineundi intra Angliam, in ordine ad Res bené & feliciter in Eccleſia Tua componendas & conſtituendas: at iſti animo quàm longiſſimum tempus indulgeat.

EX-

EXCUSATIO.

Cum sit mihi consilium singulos compellare, quos mihi dispicio Lectores, viros quocunque modo illustres & Principes, genere, muneribus, virtute & eruditione; nec tamen forsan eo ordine, aut scamni quod premunt, aut stationis quam sustinent in hoc mundi theatro; rogatos velim, ut mihi meam ignorantiam artis Scutatoriæ condonent; tum si omnibus ex æquo, etiam viris qui in altioribus sellis consident præpono humiliorem, sed amicissimum caput, æqualem meum; per quem debui exhibere conspectum totius operis, & interpretationem tituli.

IN-

INTERPRETATIO
TITULI,
Et Conspectus totius Operis, ad Eximium & Præstantissimum virum.
D. Johannem Vauquelinum.

CUm jam certus sim de mea Epistola Nuncupatoria, quod à nemine, multò minus à Potentissimo Rege, cui dicatur & consecratur totum opus, legetur, ut mundi Monarchis & Sacris illis capitibus, non vacat descendere ad has curas: possem hanc mei fiduciam habere, ut aliqua epistola ad lectorem, de more subjuncta epistola nuncupatoriæ, à pluribus legeretur. Verùm & illam quoque, cum habeam compertum vix à quoquam legi, ut, quod omnes pariter curant, omnes pariter negligunt; commodum duxi te amicissimum caput dispicere lectorem meum, per quem forsan alii præmonerentur, aliquid in illa esse scitu dignum, ob quod aliàs, alia curantes, aut aliò properantes, non inhiberent suam festi-

festinationem, ut vel hanc admonitionem, multò minus opus ipsum, minimo oculorum conjectu dignarentur: hanc ergo tibi sume admonitionem, in qua consilium est me expurgare de libri titulo, quasi nimiâ mei fiduciâ & temerario ausu, titulo tumente, ostentaverim; me effecturum quod reipsâ non præstiterim: nam, ausim affirmare opus meum plus etiam in recessu habere quàm in fronte promittit, ut in hoc non opus sit modum aut temperamentum afferre per vocem propemodùm; *cum revera, si rationi meæ veritas constat, unâ periodo circumscribatur; adeoque nemo mihi objiciat illud Horatianum.*

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Nemo certé, nam en Rhodus, en saltus; en proposita & promissa à me Ratio *unâ periodo comprehensa; nec tam longâ, ut sit de Asiaticis illis, quæ non nisi tribus aut quatuor spiritûs ductibus evolvi possint, quamque fidei causâ hic appono.*

Si quis demat à Papæ imperio terreno,

reno, quod sibi struxit in populos & terrarum dominos, imperio sané, pompâ, robore & divitiis florenti & magnifico, & quo fidem creat & authoritatem conciliat Transubstantiationi, Purgatorio, cæterisque Romanensibus doctrinis, apud omnes ordines hominum, qui Papæ & Religioni Romanæ nomen dederunt; Si quis, inquam ab eo imperio demat vocabula *Ecclesiastici* & *Spiritualis*, quibus tanquam involucro & tectorio fucat & acceptum reddit illud imperium, imprimis Regibus, Principibus, & Potestatibus secularibus; hos, simulac errore illo fucoque vocabulorum exoluti erunt, non diu laturos, sed statim eversuros comparem & consortem (an potius dominum) imperii & unà totum systema Ecclesiæ, doctrinarum & traditionum Romanensium, quæ sub umbra fucati illius imperii securé conquiescunt, & vitam ac spiritum ducunt, diruturos & exscissuros.

Hæc est Ratio non propemodùm unâ, sed reverà unâ periodo comprehensa, per quam semel intellectam, probatam & avidé arreptam, usurpatamque à Protestantium Antistitibus, totum doctrinarum Roma-

Romanensium systema de quibus lis est inter Protestantes & Pontificios, ipse Papa & Papismus, atque imperium Papale, facili negotio evertuntur: atque hæc Ratio *unâ periodo comprehensa docet Jugulum causæ non esse,* καθ' ἑκάστην *confutare Romanenses doctrinas, de quibus lis est cum Protestantibus, sed avellere & detrahere larvam illam quâ Papa suum Imperium fucat; unde futurum est ut statim sine sanguine & armis ruat, & unà totum systema doctrinarum Romanensium ipsaque Ecclesia & religio Romana, quibus omnis authoritas, gratia, amor aut terror, veneratioque conciliantur ab illo Imperio Papæ terreno in Reges & populos. Ut jam hæc pericope debeat, non solum sustentare meam fidem si dubia est per titulum Libri impensius specie promittentis, quam exitu præstare possit, sed & potius hujus astruere modestiam, quam damnare arrogantiam.*

De hisce habebam lectorem meum præmonendum, te imprimis, in cujus, ut amore, sic in judicio semper triumphavi, & etiamnum triumpho, neminem cognoscens, qui defæcatiori & subactiori judicio; tum amiciori & candidiori pectore velit aut possit, de tota rei summa

quam

quam tracto sententiam ferre, pronunciareque concordetnè opus meum, cum libri epigraphe, an verò ab ea discordet; & cui imprimis debetur quicquid in ea materia, aut illino chartis, aut publici juris facio: nam cum id studiorum genus, quod totos hosce viginti annos excolui, tibi imprimis probatum fuerit; tum ad ulterius ornandum & perpoliendum, acerrimam semper facem prætuleris; æquum existimavi, ut ejus fructus & operæ meæ pretium, quod est hoc Jugulum Causæ, *tuo judicio subjiciatur. In quo quidem jugulo, Vir amicissime, Cornicum oculos configo: imprimis digitum intendo in eam Papismi & Corporis Romanensis partem, quâ solâ Roma est penetrabilis & mortalis: ulcus retexo, quod ut solenne est morbo, quem Medicorum filii vocant* Noli me tangere, *vel leviter, multò magis curatius, ut debui attrectatum, allaturum est exitium Papæ:* Id *ulceris est* Mysterium iniquitatis, *de quo Sanctus Paulus loquitur secundo capite secundæ ad Thessalonicenses, cujusque naturam longè aliam esse doceo, quàm vulgò creditum est à viris piis & doctis, & usque adeo utilem, ut pronunciare non verear apprimè cognitu necessarium esse secun-*

secundum mysterium pietatis, si non ad salutem, saltem ad compendium controversiarum, quæ nobis sunt cum Pontificiis, earumque enodationem, atque ad ulteriorem notitiam, Divini, humanique juris, dicendi & scribendi segetem uberrimam, quâ mens pariter & oratio insurgunt. Etenim sacra Scriptura, nostræ cognitioni subjicit duo Mysteria; alterum Iniquitatis, alterum Pietatis: Hoc quidem, quod est Deus carne indutus, & sub specie peccati, author salutis credentibus in eum: Illud, quod est caro personata Spiritum mentiens, ac fuco vocabulorum, Papæ, Pontificis Maximi, Episcopi, Ecclesiæ, Potestatis Ecclesiasticæ & Spiritualis *incrustata, sibi parans & struens imperium terrenum in populos & terrarum dominos; denique homo peccati, infallibilitatis mangonio & involucro tectus, secum trahens catervatim innumerabiles populos in gehennam, ut loquitur Canon* Si Papa. *Utrobique sunt* βάθη *profunditates & recondita, hinc Satanæ, illinc Dei. Quæ duo Mysteria supervacaneum puto, atque præter modum epistolæ, longiori sermone apud te harum rerum egregié gnarum prosequi. Vale plurimum, cum ornatissimo viro*

D, Car-

D. Cartantio, muneris Sancti & quod unà sanctissimé & concordibus animis sustinetis suavissimo consorti & symmystæ, apud quem ut meas partes occupes, significando illi amorem quo eum colo; tum probando itidem illi hæcce nostra, ut tibi esse grata confido, te etiam atque etiam rogo. Iterum vale. Datum Londini, anno Reparatæ Salutis, 1670.

RECENSIO
CAPITUM,
Cum Virorum ad quos Author scribit, tum ipsius Operis.

1. *Duci Buckingamiæ.*
2. *Comiti Bedfordiæ.*
3. *Comiti de Bridgewater.*
4. *Comiti de Manchester.*
5. *Comiti de Anglesey.*
6. *Comiti de Laderdail.*
7. *Vicecomiti Brouncker.*
8. *Episcopo Cestriensi.*
9. *Baroni Roberts.*
10. *Baroni Lucas.*
11. *Baroni Holles.*
12. *Baroni Ashley.*
13. *Jacobo Herbert.*
14. *Roberto Boyle.*
15. *Johanni Trevor.*
16. *Johanni Leyonbergh.*
17. *Guillelmo Areskino.*
18. *Roberto Moravio.*
19. *Jacobo Langhamo.*
20. *Edmundo Gotofredo.*
21. *Johanni Walisio.*

22. Jo-

22. *Johanni Oweno.*
23. *Thomæ Barlow.*
24. *Thomæ Mantono.*
25. *Edoardo Stillingfleet.*
26. *Thomæ Coxe.*
27. *Jonathano Goddardo.*
28. *Johanni Sadlero.*
29. *Richardo Baxtero.*
30. *Thomæ Gouge.*
31. *Thomæ Coxe filio.*
32. *Jacobo Innesio.*
33. *Johanni Thornetono.*
34. *Comitissæ Huntingtoniæ.*

35. *Johanni Meerman.*
36. *Johanni Borelio.*
37. *Conrardo van Buningen.*
38. *Samueli Maresio.*
39. *Jacobo Gaillardo.*
40. *Isaaco Vossio.*

41. *Henrico Oldenburgio.*

42. *Marchioni de Ruvigni.*
43. *Johanni Coladonio.*
44. *Valentino Conrardo.*
45. *Henrico Justello.*
46. *Petro Molinæo.*
47. *Ludovico Heraldo.*

48. *Ludovico le Blanc.*
49. *Johanni Claudio.*
50. *Petro du Bosc.*
51. *Davidi Primirosio.*
52. *Danieli Russello.*
53. *Guillielmo Sondano.*
54. *D. Mettayerio.*

IN-

INDEX
Et
SUMMA
CAPITUM.

CAPUT. I.

Titulus Libri explicatiùs proponitur, & ejus veritas astruitur.

CAPUT. II.

Depulsio Præjudicii.

CAPUT. III.

Imperium à Papa habitum, jam per plura secula in Reges & nationes, est merè terrenum, & ejusdem naturæ atque Imperium Regum in suos subditos; quanquam ad fucum faciendum, illud retinuerit hactenus sub nomine Ecclesiæ Catholicæ & sub vocabulis Ecclesiastici & Spiritualis.

CAPUT. IV.

Vinculum, quo ante Concilium Tridentinum, cùm Clerus, tum Reges & plebes alligabantur Papæ, non erat causa,

nec conscientia religionis, sed quæ omnes populos, obnoxios & subditos præstat suis dominis, eorumque imperio, divitiis, pompâ, ac fulgore suo florenti.

CAPUT. V.

Ex eo quod ante Concilium Tridentinum, nec certa, imò nec ulla extaret Regula fidei, conficitur, Religionem Romanam nuperam esse & demùm cœpisse post Concilium Tridentinum; ac proinde recentiorem esse Luthero & Calvino, quorum fides & qui eam profiterentur semper extiterunt.

CAPUT. VI.

Sua cuique utilitas, studium partium, tum consuetudo obfirmata; institutio à teneris, sed imprimis veneratio per quam homines etiam altioris intellectûs revereantur quicquid est magnificum, & in alto fastigio positum, in causa sunt, cur populi tam tenaciter & religiosé addicti sunt Papæ & religioni quam approbat. Totum mundum exercere histrioniam, nihil uspiam simplex, nihil come, imprimis apud Pontificiorum Doctores & Antistites. Nec hac in parte culpâ vacuos nonnullos Protestantium, seu sint de sacro

cro Ordine, seu de grege laico: nam & hi quoque, licet viri magni & eruditione præstantes sua cuique utilitate ducuntur & corrumpuntur.

CAPUT. VII.

Papæ & Romanenses Doctores, etiam subacti judicii viri, eam fidem potius semper amplexi sunt, quæ facit ad augendam Papalis imperii dignitatem, & quæ tempori servit, quàm quia eam reverà, orthodoxam & veram esse crediderunt, cum orthodoxi plerumque fuerint, in illis dogmatibus quæ seria sunt, nec commodo Papæ aut proprio compendio serviunt; verùm futilia quæque semper arripuerint, si modò consulunt Papæ honori & cum augenda re culinaria conjuncta sunt.

CAPUT. VIII.

Bellarminum in suis scriptis quandiu de Papa cogitavit, adeóque perculsus fuit pompâ, fulgore, & divitiis Imperii Papalis, plerumque sua dogmata, sermones, dicta, scripta inflexisse ad ejus firmamentum & incrementum, ac proinde sæpius impia & profana protulisse: at quandoque oblitum, aut Papæ, aut pur-

puræ suæ, multa cum hisce pugnantia inspersisse scriptis suis, quæ pia sunt, sana, & orthodoxa.

CAPUT. IX.

Ejusdem culpæ esse affines doctores Romanenses recentioris & temporis & celebritatis.

CAPUT. X.

Transubstantiationem, Purgatorium, Cultum imaginum & reliquas ejusdem farinæ doctrinas Romanenses, suam non habere authoritatem apud Reges, Principes & populos, imo nec apud Clerum ab Ecclesia Romana, nec à Paparum sanctitate vitæ & doctrinæ, sed ab imperio Papali, suâ potentiâ, divitiis & fulgore, aut terrorem, aut amorem conciliante.

CAPUT. XI.

Continuatio materiæ agitatæ superiori capite: doceturque, ut solus Papa, nomine Ecclesiæ Romanæ intelligendus est, ejusque imperium terrenum, sic à solo imperio terreno, robore & divitiis florenti conciliari authoritatem, omnibus Romanensibus doctrinis, atque imprimis Transubstantiationi.

CA-

CAPUT. XII.

Infallibilitatem Papæ fidem invenire apud illos, qui juraverunt in ejus verba, ab ejus imperio terreno, divitiis, robore & pompâ illustri: cæterùm firmamentum Papæ & Ecclesiæ Romanæ deberi Papali imperio terreno, non verò ejus infallibilitati.

CAPUT. XIII.

Fraudem illam imperii Terreni, vocabulis Ecclesiastici & Spiritualis fucati, semper fuisse in reputatione Paparum & Papæ adulatorum, morbum qui apud Medicos vocatur Noli me tangere; *& maximé semper veritum & vetitum, ne attingeretur, cum ab amicis, tum ab inimicis: in hosce ideo ferro & flammâ jugiter sævitum, quod hoc arcanum, atque hanc fraudem, aut detegerent, aut pertentarent: De illis verò perpetuum consilium fuisse, ut potius quamvis materiam tractarent, quam quæ tentat arcanum illud imperii Papalis terreni vocabulis Ecclesiastici & Spiritualis obducti.*

CAPUT. XIV.

Unde sit quod cum Potestas Ecclesiasti-

ca,

ca, ut habetur & retinetur à Papa, & quâ fucat suum imperium terrenum, sit merum figmentum humanum; nihil ominus tantum roboris, tantumque stabilitatis créet imperio Papali, ut per ejus præsentiam & quandiu ejus fucus & fraus non intelliguntur, stet, sitque duraturum: at contra per ejus absentiam corruere & concidere debeat.

CAPUT. XV.

Licet imperium Turcicum sit quoque fucatum titulis Spiritualis & Divini, &, sub specie religionis, retineatur ad terrorem, venerationem & amorem conciliandum; non tamen ad ruinam esse pronum, aut ruere debere per detractionem fuci quo obducitur, quemadmodum in imperium Papale cadit, aut cadere potest.

CAPUT. XVI.

Robur, divitias, pompam, & fulgorem Imperii Papalis potissimum distinere animos & oculos plebis, & mancipare eos Papæ, & persuadere ut in ejus religione & communione permaneant. At titulos Spiritualis & Ecclesiastici illudere imprimis Regibus & Principibus, terrarum-

rumque dominis ; eosque retinere in obsequio & religione Papæ.

CAPUT. XVII.

Quicquid contrà obtendant Pontificii, illum demum non ulterius pro hæretico haberi in Ecclesia Romana, quam quatenus deficit à Papæ imperio. Definitionem Hæretici datam à jure Canonico, nequaquam quadrare in Protestantem ; sed optimè in Papam. Sed & hunc verum esse Schismaticum, non illum. De natura Schismatis.

CAPUT. XVIII.

Responsio ad exemplum Henrici VIII. *Regis Angliæ, quod affertur ut probetur, Nec imperium Papale conciliare authoritatem doctrinis Romanensibus, nec harum ruinam implicitam esse ruinâ imperii Papalis.*

CAPUT. XIX.

Occurritur objectioni petitæ à Græcis, Moschovitis, & aliis extra communionem Ecclesiæ Romanæ, retinentibus dogmata in quibus perinde errant ac Romanenses, ut probetur nullam accedere authoritatem Papalibus doctrinis, religioni

gioni

gioni & Ecclesiæ à Papæ imperio, divitiis, & pompâ illustri; nec hujus ruinâ involvi ruinam religionis & doctrinarum Ecclesiæ Romanæ.

CAPUT. XX.

Quòd, & quatenus, Potestas secularis, cum summo imperio admota Reipublicæ clavo, sit caput & rector, imo Episcopus, Ecclesiæ intra sui territorii septa.

CAPUT. XXI.

Regem Magnæ Britanniæ, inter omnes toto orbe Christiano Potestates seculares, quæ à suis cervicibus depulerunt jugum Papæ, plus imperii circa sacra retinere; atque imprimis reipsa & de jure, & de facto esse & debere dici Caput Ecclesiæ. Tum omnium Regum Christianorum magis, esse αὐτοκράτορα *&* ἀνυπεύθυνον: *cæteris Regibus qui observant Papam precariò duntaxat regnantibus.*

CAPUT. XXII.

De Controversiis circa Missionem & Ordinationem Pastorum, quibus Romanenses distinent Protestantes, ut abducant eos à jugulo Causæ. Hortatio ut hi velint vitam Papæ eripere per eum Jugulum,

lum, relictâ operosâ viâ confutandi sigillatim Romanenses doctrinas.

CAPUT. XXIII.

Detectio argumentorum & præceptorum, quibus terrarum Domini, Reges, Principes & Dynastæ, hinc à Jesuitis & Pontificiis doctoribus persuaderentur, ut perseverent in obsequio quod Papæ exhibent, inde à Protestantibus doctoribus permoveri debent, ut Papæ jugum excutiant.

CAPUT. XXIV.

De successu qui sperari debet ex concertatione inter duos nobilissimos Scriptores, alterum Arnaldum Sorbonistam, alterum Claudium, Pastorem Ecclesiæ Parisiensis.

Epilogus.

I.

Longé Nobilissimo & Illustrissimo, Principi & Duci Buckingamiæ, &c. *Illustris ordinis Periscelidis Socio, & in Sanctiori & penitiori Regis Consistorio Consiliario.*

OMnium agmen, ducat illustrissimus illustrium Anglorum, quos nostra opella exposcit, lectores, & quæ, nisi ejus author per Epistolam nuncupatoriam, Vindicem ejus & Defensorem sibi elegisset Potentissimum totius orbis reformati Monarcham, ultrò properaret se in patrocinium & tutelam Tuæ illustris *Gratiæ* dare; virique, omni modo Magni, non solum florenti fortunâ, genere, imaginibus, titulis & amplissimis quibusque, quos in regno sustines honoribus & muneribus, sed ob id potissimum, quod in Tui fabrica secum certaverit Natura, Téne corporis, an verò animi dotibus majorem exhiberet: nisi quòd tandem ex illo conflictu prodiisti exquisitum & perfectum naturæ opus, cujus dignissimus animus, dignissimo domicilio includeretur; & quæ in te uno nobis exhibuit, Augustum, Massinissam, & Xenophontem: in quem, quasi uno fœdere, concurrunt omnia illa naturæ munera & dona, quæ in quemquam præter te unum collata unquam vix crediderim, Proceritas venusta corporis, Majestas

jeſtas vultûs, decus frontis erectæ, porrectæ, & hilaris; liberalitas oris, Eloquentia quæ fortem & fortiſſimas res deceat, nobilitate ingenita, eodem animo dicentis quo exequitur: cum indole generoſa, magnifica & munifica, quaſi ex perenni & divite fonte exundante, clementiâque erga afflictos peregrinos & exteros; tum æquitate in vexatos religionis causâ: at in omnes comitate & urbanitate obviâ & expoſitâ, quæ illos in tui amorem, imo venerationem ſic alliciat, ut nemo à te, aut triſtis, aut indonatus recedat: ut ſileam de Tua fortitudine, conſtantia, ſapientia & prudentia, in conſilio, in periculis, in adverſis & proſperis juxta & rerum uſu; de quibus præſtat tacere, quàm pauca dicere: tum de amore Tuo in literatos & literas, diſciplinaſque ſublimiores, quæ ſcientiam & demonſtrationem pariunt: ut jam Maximo Rege, non attendente, aut recuſante tutelam noſtræ novæ Rationis, me hâc ſuſtentem fiduciâ, tuam illuſtrem *Gratiam* non detrectaturum provinciam, ejus patrocinium aut defenſionem ſuſcipiendi.

II.

Nobilissimo & Illustrissimo, DOMINO DOMINO GUILLIELMO COMITI, Bedfordiæ, &c.

QVanquam, Vir Nobilissime, nec dignitas Comitis, nec genus Tuum, sint hujus seculi, sed priorum; attamen non reponis tuum honorem in antiquitate generis, nec in splendore titulorum, sed in judiciis hominum de virtute Tua, amore veræ religionis, & pietatis; fide in Regem, charitate erga proximum, afflictum jacentem & exterum: nam in his posita est Tua vera imago, vera effigies & mansura, quam cùm vitâ concesseris posteri tui jucundâ recordatione, recolent, exprimenl in mente & moribus, Teque eo nomine laudabunt; non in illa quæ saxo, aut inciditur, aut struitur, quæque sæpius, apud posteros, materia est odii aut invidiæ: quò magis spe sum plenus fore, ut istius virtutis radius meam novam Rationem illustret; efficiatque ut aliis prosit, semel à te intellecta & probata.

Illustris-

III.

Illustrissimo & Nobilissimo ;
DOMINO DOMINO

JOHANNI EGERTONO,

Baroni Elsmire, Comiti de Bridgewater, Regi à Sanctioribus Consiliis.

NEmo mihi invideat meam felicitatem, quòd opellæ meæ lectorem & judicem, compellem, invitem & mihi spondeam, non tantum titulis & secundum rerum simulacra, sed re, & veré, hoc est, genere virtute eruditione & judicio, quo, nunc mihi imprimis opus est, nobilissimum. Nam cum multi nobilitatem, aut suam, aut proavorum, vel sorti nascendi, vel cæcæ fortunæ; plures illam, suaque prætoria, fundos, rem lautam & splendidam, debeant criminibus; Nobilitas Egertonorum, ut, per & propter tuorum avorum virtutem, cursum inoffensum in pulcherrimis muneribus, & incorruptum vitæ tenorem, cœpit & aucta est, sic ad te transiit perinde illibata, ut videaris, non assumptus in Nobilitatem, sed quæsitus. Nemo, inquam mihi invideat hanc felicitatem, te in judicem meum eligendi, omnibus nominibus & modis magnum; stipatum ingenti & splendido comitatu, non solum, quod levius est, asseclarum & famulorum, ut decet virum tui

ordinis, ſed Dei & naturæ munerum & donorum, tum per artem & induſtriam tuam comparatorum, quæ turmatim ad te ornandum concurrunt; ut ſunt Intellectus & amor ſublimium, Judicium defœcatiſſimum, Ingenium acerrimum, eruditio reconditiſſima, cui non ſufficit otium privatorum; tum Sapientia, at illa quæ habet ſapientiæ modum, & probitate, prudentiâ, conſilio & rerum uſu excolitur: quæ quidem præſtant te cunctis vitæ officiis æquabilem, verùm in ſingulis maximum & optimum, quantùm fert humanus captus, ſeu in Regio & publico Conſilio, ſeu domi ac in privato receſſu inter amicos & æquales Tuos, imo erga inferiores, tum peregrinos, exteros & afflictos. Certè fidê in Regem invictiſſimâ, charitate in patriam conſtantiſſima; humanitate facillimâ verſus obvios quoſque: ut nemo reformidet, omnes revereantur tuum occurſum; in quo gravis es ſine arrogantia, venerandus ſine ſegnitie, munificus ſine profuſione, pari librâ ſeverus & comis, liberalis & frugi: nam & miſcuiſti, ut Nerva, res diſſociabiles, tutelam & reverentiam imperii, & patrocinium libertatis, non minus civibus tuis charus, quam Regi gratioſus: tum ſapientiam viri conſularis & publicæ adminiſtrationis conſortis, cum ſubducta & penſiculata rei tuæ familiaris ratione, ut penes te habeas rationarium, ut imperii cum Auguſto, ſic familiæ tuæ cum Catone cenſorio; in utroque diligens ratiocinator; tum magnus, fortis,

juſtus

juſtus & providus, ut nec melior extet aut liberorum Pater, aut ſervorum & familiæ dominus: nec unquam quiſquam fuit uxoris amantior, nec fortior in domeſtico vulnere, obituque longé illuſtriſſimæ & lectiſſimæ feminæ: quem caſum ſic per mœrorem & lamenta tuliſti & etiamnum fers, ut ejus memoriam, virtutem, omnia ejus facta dictaque, tecum jugiter revolvas, mentemque ejus æternam, & figuram animi cæleſtis, potius quàm corporis complectaris; ut non alius magis, aut uxorem ſuperſtitem dilexerit, aut ſublatam ex oculis nunc revereatur; nec tamen ambitioſé triſtis, & in lacrymas effuſus; ſed ſolatium & luctûs abſterſionem, in literarum ſtudiis quærens, tuâque & virtute & Bibliotheca, altera Amalthea aut Bodleiana, involutus.

Hæcce, vir illuſtriſſime, ex occaſione Tuo judicio ſubjiciendi meam opellam, dicta ſunt minora vero, & tam procul ab adulatione, quam à mendacio, quo conſtare vult Balzacus omnem Panegyricum ſermonem, & omnes conciones funebres, forſan quia nemo laudatur, niſi à quo operæ pretium ſperet: quam invidiam ſuſpicionemque à me amotam velim, tibi nec injuriâ, nec beneficio cognito, & de quo ſine ira & ſtudio dixi ex fama de te publica ſermonibus vulgi pronioris ad deterendam famam magnorum virorum, & in alto faſtigio poſitorum, & cui livor eſt pro Judicio; ut jam, ſi pœnitere debeo cum

Auguſtino retractante nimias laudes in caput cujuſdam Theodori aggeſtas, quod effuſior fuerim in laudes quorumdam, pœnitere debeam, quod de te viro ſupra omnem laudem poſito parciùs dixerim.

Nobi-

IV.

Nobilissimo & Illustrissimo, EDOARDO, COMITI DE MANCHESTER.

Illustrissimi Ordinis Periscelidis Equiti, Regiæ domûs Magistro & Oeconomo, & Regi à Sanctioribus Consiliis.

AD *te quoque pertinet nostræ novæ* Rationis *judicium & examen*, *virum dignitate purpuræ & principis loci inter regni Pares & Proceres præfulgentem, tum Divini humanique juris peritissimum, sed imprimis boni & æqui, amantissimum; atque veræ religionis & pietatis cultorem sanctissimum; in quo Rex serenissimus & sapientissimus, fidum Oeconomum; viri sancti, pii, & afflicti, præsidium inveniunt; in quo inimici nihil habent quod mordeant; boni verò nihil vident quod desiderent, imò quod non ament & diligant; certè humanitatem etiam inferioribus obviam & expositam: at omnes revereantur virtutem viri invicti adversus gratiam, & blandientium fraudibus intractabilis: quò magis in hanc spem venio, ut æquissimus sis lector opellæ meæ, ejusque authorem favore Tuo complectaris.*

V.

Illuſtriſſimo & Nobiliſſimo Viro
DOMINO DOMINO
ARTHURO, COMITI
Inſulæ Monæ (vulgo Angleſey) & Regi à Sanctioribus Conſiliis.

CUm mihi renunciatum eſſet (Nobiliſſime Comes) à Tui maximo Cultore, tua ſenſa planè conſpirare cum illis hypotheſibus, quibus tota moles noſtræ novæ *Rationis* nititur; nefas fuiſſet te non interpellare, ut me quoque legere velis: ita tamen ut ſepoſitâ ad tempus illâ dignitate quâ fulges, inter Proceres regni, qui aut premunt prima ſubſellia in Ordinum Conſeſſu, aut ſedent in penitiori & Sanctiori Regis Conſilio & Conſiſtorio, induas perſonam viri privatæ ſortis qui ſecum habitat, & cum literis & humanioribus & ſeverioribus commercium habet, nullo ut, ut ſolenne eſt tibi præjudicio abreptus, de toto rei complexu quam tracto pronuncies, judices, & denique ſemel intellectam, probatam & arreptam novam noſtram *Rationem*, digneris pro tua authoritate & recondita cognitione juris Divini & humani, ſummaque pietate & probitate cum aliis communicare.

VI.

Illuſtriſſimo & Nobiliſſimo Viro,

DOMINO DOMINO

JOHANNI, COMITI DE LADERDAIL

Vicecomiti Maitland

Domino in Thirleſton & Bolton.

Soli Secretario Regio in Regno Scotiæ, tum in utroque regno & Angliæ & Scotiæ Cubiculario Regio, atque in hoc & illo in Sanctiori Regis Conſiſtorio Conſiliario.

FRetus, vir Illuſtriſſime, tum favore tuo, quo me olim complexus es, tum fiduciâ tibi non ingratum eſſe id genus, aut ſtudii, aut argumenti, planè in eam ſpem veni, fore ut non dedigneris eſſe lector hujus opellæ, imo potius tuo calculo approbes totam noſtram *Rationem* ibi exhibitam: quam ſi orbis Chriſtianus intelligeret; non ſolùm brevì Papa rueret, ſed & ratio expedita ſufficeretur, per quam ubique in orbe Chriſtiano, unâ fide, unâque juriſdictione Eccleſia & Reſpublica in unum corpus coaleſcerent; tum fieret compendium litium quæ cauſa ſunt diſſenſûs, qui-

bus in Religionis negotio, fratres & Protestantes inter se colliduntur. Certè si benè memini, nunquam tibi placuit rigor ille tuorum Scotorum, qui Disciplinam suam, imò aliquam obtrudunt, tanquam jure Divino; ut qui, opinor, in ea sis sententia, quamcunque Disciplinam, quæ sub Magistratu adverso & infenso assumitur, confœderatam esse debere; at sub amico & orthodoxo, concedere in jura regnantis, & per delegatam ab eo potestatem, seu Episcopis, seu aliis retineri. Atque, haud dubium in eam curam incubuisti semel atque iterum non ita pridem in Scotia tua, ut gentiles tuos in illam (quæ tua est) sententiam adduceres; apud quos, cum rei veritas, tum studium tuum asserendi, cum salute Ecclesiæ & Reipublicæ, authoritatem Sacræ Regiæ Majestatis circa sacra, multum potuerunt ut illos sequaciores haberes: Eòque facilius præeuntibus & præfulgentibus toti Scotiæ juxta ac Angliæ; acerrimamque facem præferentibus virtutibus tuis heroicis: tum genere antiquo & decoro tuorum proavorum qui sunt lumen tibi, ut tu posteris, illis prælucens moribus quos servas in hoc mundi theatro incorruptos, & ut cum Nazianzeno loquar, ἐν ἐπιμιξίᾳ τὸ ἄμικτον.

Illustris-

VII.

Illustrissimo & veré Nobilissimo Viro,

GUILLIELMO, VICECOMITI BROUNCKER,

Cancellario Reginæ Magnæ Britanniæ & Regiæ Societatis Anglicanæ Presidi dignissimo.

Cum Societati seu Collegio totius orbis illustrissimo & florentissimo præsis, in quo naturæ vires, virtutes, influxus reserantur & panduntur; Ipse verò extra illum illustrium virorum & ingeniorum quæ natura meliori luto formavit, chorum & senatum, fulgeas purpurâ, sed imprimis sapientiâ, ingenio & eruditione; debui viro omnimodo illustri & Principi, ejusque examini subjicere novam meam Rationem; ut si à judicio tuo subactissimo & defæcatissimo comprobatur & censetur habere rationem & experientiam faventem, pro tua authoritate jubeas illi inscribi, ut cæteris, de quibus illustre vestrum Collegium periculum fecit, suum

Probatum est.

Re-

VIII.

Reverendo in Christo Patri, & longé Illustri, & eximio Viro,

DOMINO

JOHANNI WILKINS,

Episcopo Cestriensi.

ET te quoque adorior, Virum eruditione omnigenâ, scientiâ & arte, tum purpura, infulâ, pietate & sanctitate morum, modestiâ & candore illustrissimum. Portentum sané, sed ingenii, cum nulla detur scientia ars, disciplina, lingua, ad quam non pervolaverit, & quod tantum abest ut consepto Scholæ, Academiæ, Regiæ Societatis, Parochiæ, Dioceseos Britanniæ, concludatur, ut ne quidem Naturæ finibus terminetur: nam & tu non contentus terræ penetralia & naturæ adyta & recondita recludere, reserare & adire, tum omnes mundi Linguas in compendium & unicam futuram omnium parentem & clavem mittere; Insuper artem nos doces, tanquam scalis admotis in cælum evadendi, atque precibus, novâ vitâ & sancta, adyta sanctiora Paradisi penetrandi. Portentum sané hominis, quem pené primum honores & dignitates non corruperunt, imo non mutaverunt,

verunt, nisi ut è sancto fieret Sanctissimus. Nam cum Onufrius & Thuanus narrent de aliquot Papis, nominatim de *Paulo* IV. & *Julio* III. quod potuissent in bonos & Sanctos Viros evadere, nisi Pontifices Maximi renunciati fuissent; Tu longè ab illis abivisti qui videris, non ornamentum accipere ab Episcopatu, sed Episcopatui dare: nam postquam te tua virtus ad eum apicem & Pontificatum provexit, in florentiori fortuna, eosdem mores commodos & humanos retines, certé comitatem tantò magis omnium occursibus obviam & expositam, tum æquitatem in Sanctos Viros de tuo ordine, aut de quovis, quibus fidem non imperas sed suades, ut jam si magnus es quod referas Verulamios, Cartesios, Gassendos, major sis quod Augustinum, qui imaginem exprimit boni pii & Sancti Viri. Sed neque hæc ad te scribo, ut in laudes tuas expatier, qui virtute simplici, potius mereris gloriam quam captas; sed ut te submoneam de meo Jugulo Causæ, atque in tuas sacras manus sumendo. Cujus consilium olim animo agitatum tibi non displicere memini. Profectò non alius suâ authoritate posset ejus commoda utilitatesque in uberiores & ulteriores fructus perducere: illum imprimis quo doceo, quatenus & quam commodé & locutione propriâ & citra *ἀκυρολογίαν* Rex Serenissimus est Caput, imo Episcopus Ecclesiæ Britannicæ. In quam rem in memoriam regredior, audivisse me quendam naris emunctæ dicentem, si suboluisset Thomæ

mæ

mæ Moro quatenus Rex eſt, & eſſe poteſt Caput Eccleſiæ, potuiſſe diutiùs Caput affixum & additum corpori retinere, non diſcedendo, nec à recta conſcientia, nec ab Eccleſia Romana.

Illuſtriſ-

IX.

Illuſtriſſimo & Nobiliſſimo,
DOMINO DOMINO
JOHANNI, BARONI
ROBERTS,
Privati Sigilli Regii Cuſtodi, & Regi à Sanctioribus Conſiliis.

QUanquam tibi Regni Primario Viro & ſcientiarum, bonarumque artium Principi & juſtitiæ Antiſtiti, tuoque judicio longè ſubacto ſubjicere debeo meam opellam, cui probari flagrantiſſimè cupio; attamen alternis judiciis diu pependi, te ne eâ linguâ compellarem, in qua deterreres quemquam à latina, vel ſcriptione, vel loquela? an verò ſatius fuiſſet mihi, te ſilentio venerari, nec viſo nec audito, ut tantò tibi conſpectior forem, ad exemplum imaginum Caſſii & Bruti in funere Juniæ, cæteris præcellentium quia non viſebantur? verùm tandem expugnavi proprium pudorem recordatione humanitatis tuæ, quâ, depoſita ſeveritate & judicii & ſermonis, dignatus es aliquando latina mecum commutare, nec paria tecum facientem aſpernari: quo magis nunc me eâ ſpe ſuſtento, futurum ut eo vultu, amico & benevolo, reſpicias ad opellam noſtram, quo authorem ipſum ſuſcepiſti, quique in hoſtimentum non tibi

bi

bi parat laudes, sed preces & vota, ut sibi fieri amant viri meritissimæ celebritatis, ne promiscuis præconiis deterantur: namque, ut de Agricola dixit Tacitus, injuria esset tuarum virtutum, quasdam de illo choro referre, & laudare: in quibus sunt integritas & recti pertinacia, cui benefacere, bene sentire & bene judicare, in naturam venit: in quo omnes boni reperiant & ament, cum omnes virtutes, tum specie pugnantes, sed felici temperamento, consortio & pari libra junctas: in Viro Nobilissimo, senatoriam gravitatem & popularem humanitatem: in vita occupatissima ejus quem publicæ curæ attinent, otium & eruditionem privatorum qui in seducto vivunt; qui Tullium referat & in Senatu, & in Tusculano: in hoc comitatem, in illo severitatem: qui cunctis vitæ officiis servet justitiam Aristidis, severitatem Catonis, comitatem Phocionis, pietatem & Sanctitatem Augustini: qui nihil in publico statuit quod domi non servet: apud quem latiùs pateat officiorum quam juris regula, & cui licet sit legis observantissimus, plus tamen arrideat ex bono & æquo quam ex lege judicare: Cujus denique ædium fronti aut in monumento marmoreo, eóque mansuro, velim uncialibus Literis, hanc Epigraphen inscribi

Hic Jacet aut habitat
Recti Pertinax.

Viro

X.

Viro longè Nobili, cum Purpurâ, tum Ingenio & eruditione.

DOMINO

JOHANNI, BARONI

LUCAS.

PErsæpe animum subit recordatio temporis (atque id est triginta annorum & quod excurrit) quo in vicinia tua, fruebar tuâ suavissimâ & eruditissimâ consuetudine. Mirabar in generoso Viro natalibus claro, fortunâ florenti, & in juvene eruditionem multorum virorum, etiam senum, in te unum aggestam & cumulatam: ut jam conjicere sit, quantus nunc vir sis, cui ex eo accessit studium tot annorum, & cujus magna vitæ pars acta per tot experimenta, rerum usum & notitiam, an potius contemptum mundi, qui nemini quam tibi melius notus est, didicit: accedentibus insuper dotibus ingenii acerrimi, & judicii subactissimi: quibus non auctario purpuræ tuæ, eruditio reconditissima, splendorem adjicit, ut quæ potius illi ornamentum impertit; tantum abest, ut tua dignitas Paribus regni inseri quicquam tuis virtutibus addat. Atque hæc Tui reputatio, hanc fiduciam mihi dat te futurum æquissimum, & Lectorem, & Judicem opellæ meæ: nam injuria esset judicii tui, hic æquitatem tuam rogare & appellare.

Illustris-

XI.

Illuſtriſſimo & Nobiliſſimo,

DOMINO DOMINO

DENZELL HOLLES,

Baroni Holles de Iſfield, in Sanctiori Regis Conſiſtorio Conſiliario.

SI cujuſquam judicio, certè Tuo tribuo vir Illuſtriſſime, plenus ſpei fore ut totius operis mei conſilium, ſcopus & complexus cum ſenſibus tuis concordent, adeoque tibi arrideant. Utut ſit, debui tuo judicio ſubjicere quæ ad tuum forum pertinent, virumque de Senatorio ordine purpuratorum, belli & pacis artibus clarum, penitioriſque cognitionis Divini & humani juris ſcientiſſimum: qui vitam per experimenta & pulcherrima munera conſumpſit, & ſic ab eis requievit, ut perſtet in adminiſtratione aliorum munerum pari decore & dignitate fulgentium, quò eum ſua virtus provexit. Cæterùm non paro tibi laudes, ſed gratulationes de virtutis tuæ gloria, quâ te ſolaris, cum animo recolis, tot à te emenſos labores, tot in te aggeſtos honores, quorum eò jucundior eſt memoria, quod virtuti & meritis tuis datum fuerit teſtimonium, non ambitioni beneficium: nam bis decedentem ab ampliſſimo munere legati extra ordinem à

poten-

potentissimo Rege ad perinde potentissimos Principes & Dominos, ut gratiæ & pacis sequester esses, summa horum laus, illius summa gratia, gratulatioque te prosecutæ sunt, tantâ morum integritate & virtutis incorruptæ famâ, apud illos ad quos ivisti, ut gloriari possis cum legatis missis Româ Alexandriam ad Regem Ptolemæum, te ibi de publico ministerio nihil præter laudem bené administrati officii reportâsse. Nam & antequam te tua virtus eò produxisset, ut Maximis regni proceribus Par, & principalium onerum in sacro Regis Consistorio adjutor esses & consultor; fuisti diu publicorum consiliorum spectator, priusquam consors: nunquam officiorum varietate, rebusque susque, deque euntibus à recto abivisti; sed eâdem firmitate animi adversis suffecisti, quâ nunc prospera pateris; ut qui semper excitatus fueris ad meliora magnitudine rerum, cum hebescant alii. Cæterum veræ pietatis cultor, ut recti custos & tenax, nec impeditus privatis, aut amicitiis, aut inimicitiis, quominus etiam cum inimicissimo consentias: huic tamen maximé æquus & propitius, quando potes eum pro meritis conculcare: ita tamen lentus in dolore tuo, ut licet semper proprias, nunquam tamen publicas injurias largiaris: in quem denique omnes partes & dotes, viri magni, fortis, sapientis, eruditi, eloquentis, probi, pii, consulti & amici videntur quasi fœdere facto concurrisse. In quarum virtutum choro familiam ducit sa-

pientia, sed exacta ; constantia in his quæ proposuisti, firma. Eloquentia quidem, sed ea, quæ fortissimas res deceat, non concinnata, nec in verba sollicita, sed ingenti animo prout impetus fert res suas prosequens, seu in Consilio Regio, seu in Procerum & Ordidinum regni consessu sententiam dicas : in quo suades, non quæ delectant, sed quæ prosunt ; nihil dissimulatione, vel silentio, vel levi, aut perfunctorio dissensu publicæ utilitatis transmittens. Nec alius es, nec alia sentis domi, quàm in publico ; cum sis cunctis vitæ officiis æquabilis, ut non dedigneris ad tenuiores descendere ; retinens in florenti fortuna, & viri nobilissimi sorte comitatem omnium occursibus expositam : eo tamen temperamento, ut nec facilitas authoritatem, nec severitas amorem & humanitatem diminuat, usque adeò, ut comitate & alloquio officia provoces, & omnes bonos in tui amorem allicias, jungens raro concentu ingenium par negotiis, quod nec inflatur honore, nec obruitur pondere : summamque humanitatem cum summa fortuna ; tum eruditionem reconditam, cui non sufficit otium privatorum, cum vita occupatissima : & qui cum gratiæ causâ nihil faciat, omnia tamen grata sint quæ facit. Hæc non damus tuis auribus : neque enim melius quisquam te laudaverit, quàm qui tua facta domi & foris, cum in Gallia, tum Bredæ, fideliter narraverit, sed rei veritati.

Verùm dum hæc scribo totus stupore & admi-

admiratione, usque adeo defixus sum per reputationem rei nuper à te peractæ, ut non habeam modum epistolæ, apud illum qui non habet modum, magna, fortia, & miranda patrandi. Certè, licet animo foras emineas contemplatione cælestium & sublimium; nusquam tamen Deo magis similis es, quàm ubi ad afflictum & jacentem respicis, cui sic manum porrigis, ut eleemosynis tuis detrahas pompam, magis delectans benefacere, quam benefecisse videri; eòque similior es Deo, qui non solùm sis φιλόξενος ut, ἀγάπη & φιλοξενία τὸν χριστιανὸν χαρακτηρίζει, sed & innocentiæ exterorum vindex, defensor & ὑπερασπιστὴς, alioquin periturorum per invidiam aut scelus delatorum: tibi enim res advenarum exterorum & peregrinorum magis sunt cordi quam tuorum gentilium. Neque enim tu nascendi sortem in exteris aut advenis punis, patriam, non animum æstimans. Sed quid moror referre historiam de te quæ me in stuporem dedit? Narrabo certè, non tibi, cui melius nota est quam cuiquam, sed aliis. Cum non ita pridem advenissent ex Gallia quinque Juvenes generosioris sortis & probis moribus, ut conspectu urbis Londini & agri in vicinia animum & corpus oblectarent & laxarent, & postremùm in Hartfordiensi agro substitissent; nihil opinantes capti sunt ab apparitoribus, procurantibus quatuor illius agri indigenis (aiunt fuisse de natione lanionum) qui magis odio gentis, unde oriundi erant & venerant, quàm hominum, coram judice omnibus diris

ſe devoverunt & perjurio caput alligaverunt, niſi per viam Regiam iter facientes ab iſtis quinque Gallis omni pecuniâ ſpoliati fuiſſent : quin in ea horrenda accuſatione perſtiterunt coram Duvallio inſigni latrone ipſis objecto, qui hoc graſſatorum crimen in ſe & ejuſdem flagitii ſocios tranſmovebat: ob quod facinus Duvallius & plura alia perinde atrocia, damnatus eſt ad patibulum ; nec deſtitit morti proximus hoc crimen depellere à capite ingenuorum Juvenum;perſeverantibus inter hæc eorum accuſatoribus pejerare & dejerare,Gallos criminis manifeſtos eſſe, non verò Duvallium, officioſum (ut aiebant) in re, quæ ſive falſa, ſive vera, ne hilum, aut gravaret, aut leniret reatum & noxam tot criminum, quorum,vel unicum afficeret eum ſupplicio. Quid multis ? viciſſet ſcelus perjurorum, & pœnas graſſatorum extremo ſupplicio luiſſent innocui, niſi opportuné de re tota, tu, vir magne, certior factus interceſſiſſes, quaſi Deus è machina, atque authoritate quâ polles apud ſereniſſimum Regem,Judices & Prætores,prenſationibus, ſupplicationibus, poſtulationibus, perquiſitionibus & ſubſtitutionibus verorum reorum, tum itionibus & excurſibus crebris, magniſque impenſis de tuo ære, mortem & dedecus arcuiſſes à capite inſontium. Profectò niſi jam pridem religio & Chriſtiana & Reformata, & inde alii mores & mitiores inducti, eluiſſent maculam quàm Horatius inurit Britannis, ut ſint hoſpitibus feri ; tu ſolus, vir Magne, hanc labem, hoc præcla-

ro

ro facinore expunxiſſes, quo nomine Mauſolæum tibi extruerem marmoreum, eòque in ſecula duraturum, cum hac Epigraphe.

Donzell Holles, ſapientiâ, æquitate & hoſpitalitate inter ſuos Anglos, eſt alter Anacharſis inter Scythas.

XII.

Illustrissimo & Nobilissimo,
DOMINO
ANTONIO, BARONI ASHLEY, &c.

In sanctiori Regis Consistorio Consiliario.

SI unquam Natura magnum in parvo fecit, (ut Natura, inquit Plinius, nusquam magis quam in minimo tota est) id in te comprobavit, cum exiguo corpore inclusit mentem sublimem; altum intellectum; animum foras eminentem, non quia arctiori ergastulo concipitur, sed quod cælestia spiret: & cum Te donavit cognitione penitiori, Divini, humanique juris, & tam diffusâ rerum quæ sunt sub cælo notitiâ, quam ipsa est natura, & in omnes partes, seu Britannici seu literati orbis exundante, ut, si jus dicis in Senatu, ut alter Cicero, cum eo itidem doceres in altero Tusculano Philosophiam; sed & hanc in illo: verùm illam Philosophiæ pulcherrimam partem quam Philosophus Euphrates imprimis commendabat Plinio Juniori, quæ est agere negotium publicum, cognoscere, Judicare, promere, exercere justitiam; & quæcunque Philosophi docent in Schola, in usu extra Scholam habere. Id quidem cum sedulo & fideliter præstes, vir illustrissime, jam non te capit

modus

modus ille, dignitatum, munerum, & bonorum quos Rex sapientissimus in Te aggessit; sed ad ulteriora assurgit: ut jam aut in te, aut in nemine habeam æquum judicem & lectorem opellæ meæ.

XIII.

Viro longé Nobili & Illuſtri,

JACOBO HERBERTO,

Cognatione, Filii, Fratris & Patrui Comites Pembrokiæ contingenti.

ET tibi, vir Nobiliſſime, debetur locus inter illos, quos æquos judices & lectores opellæ meæ, non ſolum magnoperé expoſco, ſed & futuros affirmare auſim; tibi inquam, viro, qui nobilitate antiquâ & ingenitâ, florenti fortunâ, non partâ, ſed relictâ ab illuſtriſſimo Parente tuo, primario, ſuo tempore regni, viro; pectore candidiſſimo & intergerrimo, boni & æqui amantiſſimo, moribus piis, ſanctis & commodis, nullo ſtudio partium, aut præjudicio à recto abductus es; cui ab educatione in contubernio Regio à teneris venit in naturam bené vivere & bené ſentire; qui cum primulis annis adoleſcentiæ deſtinatus eſſes à maximo Rege ad ſummum faſtigium Præſulatûs in Anglia, potius duxiſti, ubi habuiſti tuæ vitæ modum, tua virtute & fulgore proprio lucere in hoc mundi theatro, quam alieno, accerſito & inducto; ad quem fortaſſe hodie, ſic caligarent oculi tui, ut veritas noſtræ opellæ, non niſi infracta ſe judicio tuo ſiſteret, quæ nunc depulſis omnibus nebulis ſuæ cuique utilitatis, nuda, pura & clara in intel-

lectum,

lectum, ut eſt tuus, perinde defæcatum ſe ingerit. Nam rem ita eſſe, teſtantur tua natura mali neſcia & inexperta vitiorum ſeculi, & comitas, quâ te præſtas omnium occurſibus obvium & expoſitum, tum modeſta verecundia; quibus quaſi oblitus tui, & generis atque ordinis ad inferiores te demittis, & tanquam cum æqualibus verſaris, nullius unquam os lædens, imo erga omnes benevolus æquus & blandus. Macte his virtutibus, & nos te colentem tuo favore proſequi dignare, Vale.

Viro

XIV.

Viro Illustrissimo & Nobilissimo,
DOMINO
ROBERTO BOYLE,
Fratri Germano Comitis Burlingtonii.

NOn eâ gratiâ, *illustrissime*, *ad te scribo ut in tuum caput aggeram laudes, quibus totus orbis Christianorum, Theologorum, doctorum, philiatrorum, illustrium ingeniorum, quæ meliori luto natura formavit, personat*; *de quo quicquid dicerem, minus esset præ stupenda magnitudine & multitudine rerum, scientiarum, & disciplinarum, quas cognitione, mente, manu & experimento complexus es, ut videantur omnes dotes utriusque* Scaligeri, Salmasii, Grotii, Cornelii Agrippæ, Cartesii, Harvæi *& quorum non? in te, quasi fœdere facto, concurrisse: usque adeo magnus es ubique: certè operum naturæ imitator, ejusque indagator, enucleator & perscrutator sedulus & accuratus, ut non detur cælum, terra, mare, aer, latex, vena metallica, fodina; non ductus, aut in microcosmo, aut in macrocosmo, ad quem non penetraverit, tua, aut virtus, aut sagax industria: Non eâ, inquam, gratiâ te pono in hoc choro virorum illustrium & doctorum, ut tuas virtutes palam faciam, sed ut te perinde atque illos horter ad sumendum in manus meam opellam, atque aliqua ex parte legendum, unde te excitatum sentias*

tias ad illam novam meam Rationem è tenebris, quales sunt meæ, evocandam & in apertum proferendam. Certè per te tantò illustrior & feracior commodorum & utilitatum quæ in orbem Christianum, imprimis Britannicum redundarent, foret veritas ejus, si per te lucem videret. Macte hac virtute.

Illustris-

XV.

Illustrissimo & Amplissimo,

DOMINO DOMINO

JOHANNI TREVOR,

Equti Aurato, Regi, tum à Secretis, tum Secretario.

HIc liber, vir illustrissime, multis nominibus, te suum, & lectcrem & judicem postulat, tum quia materia, ut Regii, sic tui est fori; tum quia nequeat lucem aspicere, nisi te, aut approbante, aut permittente: quanquam sola reputatio Tui, viri ingenio sapientiâ & rerum usu præstantissimi, tibi Principem locum assignet, in choro virorum illustrium, sapientum & doctorum, quorum judicio, hanc opellam probari vehementer cupio & expeto. Nam pertinere ad tuum, hoc est Regium, non verò ad Reverendorum Præsulum forum, hinc liquet, quod non tractet de ulla materia Theologica, aut dogmatica, aut polemica, imo nec de Ecclesia, aut Romanensi, aut quaquam; sed de imperio Papæ terreno, quod nomine Ecclesiæ Romanæ obducit, quodque suâ pompâ, fulgore, & divitiis conciliat gratiam & authoritatem Romanensibus doctrinis, quibuscunque, seu seriis, seu futilibus apud populos: at suo fuco vocabulorum *Ecclesiastici* & *Spiritualis* circumscribit Reges & mundi Monarchas, eosque

que retinet in obſequio Papæ: ut jam tantum abſit, ut noſtra opella aggrediatur everſionem imperii Papalis, per confutationem, uti Purgatorii, Tranſubſtantiationis, Cultus imaginum, & cæterorum Romanenſium dogmatum, quæ membratim fieret, & quod facere amat Theologorum natio, ut contrà vetet illam materiam eriſticam attingi, monſtrétque, eum non eſſe Jugulum cauſæ, nec per eam viam unquam ruiturum, aut Papam, aut totum Romanenſem apparatum Eccleſiæ, Religionis & Miſſæ, ſed ſolummodò per ruinam Imperii terreni Papalis, quæ quidem pro foribus erit, quam primum mundi Dynaſtæ, qui parent Papæ ejuſque veſtigia lambunt, exoluti erunt eo Vocabulorum fuco; eâdem ruinâ concidente Religione Romanâ, totoque complexu doctrinarum Papalium; quibus nulla amplius authoritas accedet ab imperio Papæ, ſuo fulgore oculos perſtringente, imo excæcante; atque, aut terrorem, aut amorem conciliante. Neque æſtimandum mundi Monarchas errore illo Imperii perſonati & fucati ſemel liberatos diu laturos comparem & conſortem, (an potius dominum) imperii juxta terreni, nec naturâ à ſuo diſcrepantis. Neque putandum everſo Papæ imperio, in quoquam territorio quod ſubeſt Papæ, longiorem moram ibi habituras & religionem & doctrinas Romanenſes; quàm habuerunt tempore Henrici octavi Regis Angliæ, poſtquam inde Papale imperium fugatum eſt, licèt eo animo, ut abſque illo imperio retineretur Romana religio.

De-

Denique totus complexus, omnisque designatio operis nostri edocet;

1. Ecclesiam Romanam nomine tenus esse Ecclesiam, cum sit Imperium terrenum paria faciens cum imperio Constantini magni & Caroli magni, in Italiam, Germaniam, & Galliam.

2. At ad fucum faciendum Regibus & populis obductum esse involucro, tectorio & mangonio vocabulorum *Ecclesiastici* & *Spiritualis*.

3. Hujus fuci fraude, eoque imperio divitiis & pompâ illustri, authoritatem conciliari Romanensi Religioni doctrinisque de quibus lis est inter Protestantes & Pontificios.

4. Ac proinde ad eversionem istius religionis & harum doctrinarum, inanem operam & oleum impendi, frustraque laborari, confutandis illis sigillatim, cum cadente larva Papalis imperii, concidat & ipsum imperium, & eâdem ruinâ involvatur Romana religio.

Quocirca, cum mei operis designatio, meaque *Ratio*, Papam, ejus Ecclesiam & religionem evertendi, sit planè nova, nec hactenus à quoquam Theologo attentata, cujus hodie negotium est hanc Sertorii caudam pilatim evellere, uni pilo forsan, ut Transubstantiationi, tanquam ad saxum, quod evenit reverendo Claudio plures annos, adhærendo; obfirmato animo, attamen subacto; pertendo, opus novæ nostræ *Rationis*, ut & exequandæ provinciam, non esse partium nec molimi-
nis

nis cujuſquam Theologi, quâ Theologi, cui ſeges ſcribendi & vivendi periret per ruinam Papalis imperii, ſed alterius Conſtantini, qui eſt verus Epiſcopus ad extra; adeóque tuæ cognitionis, fori & poteſtatis eſſe, mihi indulgere, ut mea nova *Ratio* tuo ſatellitio munita prodeat foras, tuta à morſibus & Inſultibus ægré ferentium hancce veritatem palam fieri.

Hæc cum ita ſint, Vir illuſtriſſime, æquum eſt te quæ tua ſunt tueri, nec pati alio patrocinio meam opellam ire per ora virûm quàm tuo: quod ut digneris, tum ejus authorem tuo favore complecti velis, te etiam atque etiam rogo.

Nobi-

XVI.

Nobilissimo & Generosissimo Viro,
DOMINO
JOHANNI LEYONBERGH,
Equiti Aurato, Consiliario, Collegii Commerciorum & Residenti Plenipotentiario, pro Sacra Regia Majestate Sueciæ, in Aula Serenissimæ Majestatis Magnæ Britanniæ.

PLuribus, quam cuiquam, Vir nobilissime, nominibus tibi constare debet ratio novæ meæ Rationis; tum quia principem locum tenes inter viros altioris, & intellectûs, & ingenii, quibus maxime probari cupio id quod, aut aggredior, aut molior, hâc opellâ: tum quod hîc in Anglia personam Illustrissimi & Potentissimi Regis imples, cui perinde placere velim (nec cuiquam, nisi per te) atque serenissimo orbis Britannici Monarchæ, hancce Rationem Reges & Dynastas in sua vicinia permovendi ad Papæ jugum suo exemplo itidem excutiendum. Sed si nullo horum nominum permotus te figerem & designarem lectorem meum, nec te suspicerem & colerem, ut publicis & pulcherrimis viri consularis muneribus defunctum, certè diligerem, imo amarem, deperiremque efflictim, te, virum privatæ sortis omni genere literaturæ instructissimum, qui vel abactus per διασπορὰν *Babyloni-*

cam,

cam, nullibi hospes es, cum tibi omnes linguæ Europeæ sint vernaculæ, cujus τῆς φύσεως εὐγένεια ϗ λαμπρότης, *absolutissima ingenii & consuetudinis elegantia & humanitas, tum judicium subactissimum, pietas & probitas citra fucum, adamantina sunt & argumenta & vincula, quæ me tibi totum devinciunt & efficiunt, ut lectorem, imo nec judicem æquiorem te habere debeam, aut velim.*

XVII.

Virtute, eruditione & natalibus Clarissimo & Nobilissimo Viro,

DOMINO

GUILLIELMO ARESKINO

Armigero, fratri Germano Comitis Marriæ & Ministro Regio à Cyathis.

VElis, aut nolis esse lector opellæ meæ unusque de illis, quos per literas sollicito, ut integris animis dignentur judicare de causa ipsa, cujus jugulum peto, compellabo te virum ingenio, eruditione, pietate, & candore cultissimum, de re in qua spe plenus sum fore ut mea sensa cum tuis concordent, quæque maximé facit ad elucidationem novæ nostræ *Rationis*, in qua inter causas Papismi in orbe Christiano retenti, unam non posui, quæ accidit nostrorum culpâ, cohibitus vel oblivione, vel modestiâ, & quæ nunc ultro & menti & calamo succurrit ex occasione libri, cujus authorem aiunt esse Dussæum, pastorem Ecclesiæ Salmuriensis, virum apprimè doctum & reverendum, de quo libro audio varia esse judicia. Cum ergo audivissem eum librum, hinc à majori parte Pastorum in Gallia vapulare, illinc à minori impensé laudari & probari; succurrit illud Plinii in quadam Epistola, dicentis, sæpe illa magis probanda esse quæ à paucioribus, quàm quæ à pluribus laudantur

dantur, ut accidit, inquit, in omni magno hominum cœtu, consilio & judicio, in quibus numerantur sententiæ, non ponderantur: nihilque tam est inæquale quàm æqualitas ipsa, in qua cum sit impar prudentia, par omnium jus est: Succurritque si quid ejusmodi vir reverendus protulisset, quod altè imbibi tam verum esse quam dubio caret, rectum angulum esse majorem acuto, potuisse damnari à parte majori pastorum in Gallia: nempe eosdem viros, cæterà sanctissimos, Lutherum in Germania, Calvinum & Bezam in Gallia, Knoxum in Scotia; alterum, aut Gisbertum Vœtium, aut Antonium Walæum in Belgio, authores fuisse & puræ reformationis in religione & doctrina constitutæ, & Papismi retenti & nondum profligati, tum in orbe Christiano, tum intra viscera reformatæ Ecclesiæ: quod quidem dictum, si pronunciatum fuisset à Dussæo, mirùm, ni eo nomine amburendus fuisset fulmine Excommunicationis: cum tamen semel agnitâ, naturâ Papismi, non putem quicquam dici posse quod magis cum rei veritate concordet: nam meo judicio, hic est verus Papismus, sive grande Pontificium dogma, quod fuit scala ascensûs ad Papatum, seu potestatem Pápalis geminam & germanam, cujusque primula fundamenta jam jacta erant tempore St. Pauli; & à quo reformationis antesignani nunquam abiverunt, nempe;

"Deum in unoquoque territorio præter "forum & tribunal summi Magistratûs, id-

 "que

“que politicum civile & terrenum, conſtituiſſe aliud forum & tribunal ſeorſim & independens à civili, ἀνυπεύθυνον, & nulli præterquam Deo reddendis rationibus obnoxium, ad cujus clavum ſedent, vel ut nonnullis placet ſoli Epiſcopi virtute ſuæ προστασίας in Presbyteros & plebem Chriſtianam; vel,ut aliis videtur,verbi Dei miniſtri per omnia ἰσότιμοι, virtute, ſeu ſacerdotii, ſeu miniſterii Evangelici, ac functionis ſacræ, & pro poteſtate ſua ligandi & ſolvendi, & clavium in manus paſtorum traditarum; per quam poteſtatem,ſeu Epiſcopi, ſeu alii verbi Dei miniſtri, aſcitis, ut his placet, in conſortium ſuæ juriſdictionis adminiſtrandæ primoribus de plebe, decretorio judicio, de quacunque materia religionis, fidei & diſciplinæ; reque cui ſubeſſe poteſt peccatum, definiunt, ordinant, deponunt, miniſterio exuunt & movent, excommunicant, abſolvunt; decreta, canones & leges Eccleſiaſticas condunt, jubent & imperant, cujuſcunque ſtationis & ordinis hominibus, eoſque ſuis cenſuris ſubjiciunt.

Atque illum Papiſmum viri ſancti in ſua quique patria & Eccleſia retinuerunt in reformatione,non tam à Papiſmo quàm à religione Romana: & eatenus firmaverunt Pontificios in ea ſententia (quæ eſt purus putus Papiſmus, quâ ſtat & nititur Papale imperium, & gratia & authoritas conciliatur religioni Romanæ) nempe putà in Gallia Eccleſiæ Gallicanæ

næ regimen, ſive ad ejus clavum ſedeat Papa, ſive non, pertinere ad ſolos viros Eccleſiaſticos. Verba ſunt Synodi Lugdunenſis reformatarum Eccleſiarum, art; 28. *De Politia civili ſtatuere, Magiſtratûs eſt, cui omnes parere tenentur: ſed de rebus Eccleſiaſticis, paſtorum eſt & Synodorum:* & pene omnium reformatorum vox eſt quam concipit vir doctus Diſſertatione de Poteſtate Eccleſiaſtica, ſectione 4 § 12. *Deus commiſit regimen Eccleſiæ paſtoribus, ut reipublicæ magiſtratibus & Regibus: ac proinde paſtorum eſt diſponere de muneribus Eccleſiæ, ut Regum & Magiſtratuum de muneribus Reipublicæ.* Ibidem: *Unicum medium has duas juriſdictiones conciliandi, & integritatem unius ſine alterius diſpendio tuendi, eſt, illas totas & illibatas in eodem ſtatu, quo Deus eas inſtituit, relinquere; magiſtratibus politicis rerum civilium, paſtoribus Eccleſiaſticarum cognitionem & judicium permittere.* Verba ſunt Calvini, epiſtolâ ad anonymum, anno 1541. p. 420. *Volui, ut æquum eſt, ſpiritualem poteſtatem à civili judicio diſtingui. Sic in uſum rediit excommunicatio.*

Eadem loquuntur purioris reformationis vindices in Scotia, qui ſuum ſchema poteſtatis Eccleſiaſticæ à latere Civilis incedentis exſcripſerunt ad typum Genevenſem, annitente imprimis Andrea Melvino in conventu Edenburg. anno 1570. aiunt *penes eſſe Synodos refigere ſtatuta, & conſtitutiones, quæ nec populo, nec tempori congruunt, abſque ulla interceſſione, aut provocatione ad judicem civilem,*

lem, & in Conventu Taodunenſi, anno 1598. omne jus ſuffragii abjudicant à viris laicis, cum ſedent in Eccleſiaſticis conventibus: quod faciunt in ſua diſciplina, lib. 2. cap. 7. & anno 1647. theorem 62. & 88. impr. Edinburg. dicunt, Defectum civilis ſanctionis eſſe quaſi lucrum ceſſans, non damnum emergens: cum nec quicquam addat, nec ſubtrahat. Et Eccleſiæ diſciplinam & authoritatem conſtare, ſive illam ratam, ſive irritam habeat Magiſtratus.

Paria loquitur Walæus Synopſ. diſp. 48. " theſ. 19. Negamus Spiritualem poteſtatem, " aut ejus praxin à Magiſtratûs ſupremâ au- " thoritate pendere, ſicut quidam recentio- " res contendunt, cum à ſolo Chriſto pen- " deat, & ab ipſo ſit immediaté conceſſa Ec- " cleſiæ; ac proinde nec per appellationem, " aut provocationem proprié dictam, po- " teſtas hæc ad Magiſtratûs aut Principum " tribunal deferri poteſt, cum ejus execu- " tio penes ipſos non ſit.

Ut jam perinde ſit, ſive Papa regnet in Gallia, Germania, Scotia, & Belgio; ſive inde exulet Miſſa & totus Religionis Romanæ apparatus, quandiu eadem poteſtas, Papali conſimilis, ſeu in Pontificium clerum, ſeu in Proteſtantium Paſtores recumbit.

Sed quanquam major pars Pontificii cleri in Gallia capit exemplum ex hoc ſchemate, quod noſtri ſufficiunt illi: retinendo ſibi ſeorſim Juriſdictionem, vel à Papa; vel à Chriſto derivatam plané geminam & Germanam;

attamen

attamen minor, sed sanior pars, cui se adjungunt laicorum doctissimi, censet, siquidem, ut Optatus loquitur, Ecclesia sit intra rempublicam, hujus & illius summum regimen ex æquo ad summum Magistratum pertinere: functionem quidem Sacram deberi Sacro ordini virorum, at nullam jurisdictionem nisi delegatam ab eo. Verba sunt Guillelmi Ranchini in sua Revisione Concilii Tridentini lib. 6. cap. 5. *Ecclesiastici in Gallia derivant suam Jurisdictionem, non à Papa, sed à Rege; licèt Jesuitæ contrarium sentiant.*

In eadem sententia est Richerius Sorbonista & Petrus de Marca, nuper Archiepiscopus Parisiensis, qui in sua Concordia Imperii & Sacerdotii ægré fert eandem non ascribi potestatem Regibus Galliæ in regimine Ecclesiæ, quæ attribuebatur Davidi, Ezechiæ, Josiæ, in quorum regno nullæ partes erant sacerdotibus legislationis & jurisdictionis, imo ne rerum sacrarum, vi sui sacerdotii, sed ut communi jure gaudentibus, cum Principibus populi; & vult parem rationem esse debere regiminis Evangelici sub Christianissimis Regibus, qui quidem, teste Gregorio Turonensi, habebant primis seculis summum Ecclesiæ Gallicanæ regimen; ipsumque Clodouæum in Concilio Aurelianensi agnitum fuisse Caput suæ Ecclesiæ. In summa, saniores de clero Romano eadem loquuntur quæ Synodus Parisiensis VI. & Isidorus. *Intra Ecclesiam Potestates necessariæ non essent, nisi quod non prævalet sacerdos efficere per doctrinæ Sermonem, hoc im-*

pleat Potestas per disciplinæ terrorem.

Idem possum affirmare de saniore parte, licet minore pastorum reformatorum in Gallia, qui in ea sunt sententia, Disciplinam Ecclesiarum reformatarum, haberi, vel Magistratu averso nec satagente res Ecclesiæ, per mutuum consensum & disciplinam confœderatam, quæ supplet locum Magistratûs, vel per delegatam ab eo potestatem, ut non opus sit recurrere ad potestatem tam vanam & chimericam, ut est Ecclesiastica, quam foret potestas fabrilis, mercatoria, militaris per quam cœtus fabrorum, mercatorum, & virorum militarium res suas ordinant & dispungunt.

Si excurrimus ex Gallia in Angliam, ibi minor & sanior pars Cleri, imo Reverendorum Præsulum, censet illam potestatem separatim habitam, esse, quod diximus, merum Papismum: in quam rem allegamus capite secundo aurea verba dicentis quod *dogma sit Pontificium, affirmare, Regimen Ecclesiasticum est distinctum à politico.* Si ex Anglia trajicimus in Belgium, ibi minor sed sanior pars pastorum censet cum Maccovio, Riveto, Vedelio, Polyandro & Maresio, potestatem Pastorum subjici Magistratui, ut subalterna potestas summæ supponitur.

Dolendum sané, quòd in prima reformatione viri illi sancti de clero, Calvinus, Beza, & alii in sua quique Patria, in id potissimum non incubuerint, ut Potestatem ademptam Papæ veris dominis redderent, nec sibi reservarent: saltem dolendum, quòd palam

non

non profeſſi fuerint, illam de jure ad Poteſtates ſeculares pertinere, nec à ſe vendicari, niſi aut non curante, aut non attendente, Magiſtratu ad res Eccleſiæ, nec aſſumi, niſi per conceſſionem Eccleſiarum particularium, quæ, abſque Magiſtratu amico & benevolo, recidunt in conditionem liberi populi.

Certé ſi hujus veritatis de natura Papiſmi intelligentiam dediſſet Deus viris ſanctis, majores progreſſus feciſſet reformatio, & pridem concidiſſet imperium Papæ, quod primi illi Reformatores inſtillaſſent unctis Domini, non ſuum eſſe, ſed illorum: ſed eò majores progreſſus reformatio feciſſet, ſi larvam vocabulorum, *Eccleſiaſtici* & *Spiritualis*, quibus Papa ſuum imperium terrenum in Reges & populos & acceptum & πότιμον reddit, illi eripuiſſent: nec eo involucro & tectorio vocabulorum ipſi ſuam poteſtatem in greges Domini obduxiſſent. Hæc tam doleo eſſe vera, quam volupe eſt hunc dolorem in ſinum Viri integerrimi effundere. Porrò longioris epiſtolæ, non aliam cauſam addo quam Balzaci ad amicum; Cum non vacaret brevem, ſe longam ſcripſiſſe Epiſtolam.

Viro

XVIII.

Viro longé Illustri,
DOMINO
ROBERTO MORAVIO,
Equiti Aurato.

EXcitavit me fama Moraviorum scilicet, Tui, viri, Ingenio, Judicio, Morum elegantiâ & suavitate eruditioneque præstantissimi, Tuorumque proavorum, qui magnam Historiæ partem implent; quorum virtutibus heroicis Studium tuum in Christianam Religionem & pietatem, atque Regiæ prosapiæ & coronæ decus, tum Mæcenatis partes & officiosa humanitas, erga illos qui colunt rem literariam, tam severiorem quam humaniorem, cumulum adjiciunt. Hæc inquam fama me excitavit, ut te quasi per jugulum prehenderem, nec vim tamen aliam inferrem quàm rogantis & precibus imminentis, ut petenti Maximæ controversiæ Jugulum favere & subservire velis, nosque inter Tui cultores censere.

Viro

XIX.

Viro longé Illuſtri & Eximio, DOMINO DOMINO JACOBO LANGHAMO, *Equiti Aurato.*

QUanquam imparem tibi, ingenio & eruditione, imprimis Romano eloquio, in quo tibi ultrò faſces ſubmitto, diu me ſuſtinui, propriâ verecundiâ & meæ tenuitatis conſcientiâ, téne Epiſtolâ, aut latinâ, aut aliquâ compellarem: non diu tamen mihi ambigendum fuit, utrum nécne te accenſerem viris & Principibus & Illuſtribus, quibus impensè cupio, meam novam *Rationem* probari: cum plures de tuo judicio quàm de quoquam habeam cauſas cur bene ſperem; tum in eo triumphem, etiam non ponendo in conditionibus boni & æqui Judicis tuas dotes acerrimi & defæcatiſſimi, ſeu judicii, ſeu ingenii, & reconditam Divini humanique juris cognitionem; imo nec numerando ſanctitatem, ſeu pietatem vitæ caſtigatiſſimæ, quarum, ſaltem aliquis modus cadere debet in eum, quem tibi diſpicias incorruptum & æquum judicem: ſed in conditionibus boni & æqui judicis, judiciique ponendo, illos calculos, illas rationes, illas ſuffragationes, quas omnes conjunctim & agminatim, in quemquam niſi te unum, vix cadere crediderim: qua-

quarum ducit agmen quam Martialis ponit in conditionibus vitæ beatæ, nempe rem lautam & florentem, eamque non partam sed relictam, ejus qui sit quod velit, nihilque malit: nam de te hoc dicitur, qui cum in florenti fortuna ab illustri Parente tuo, viro amplissimo, etiamnum superstite, accepta & per virtutem ad culmen aut togæ, aut dignitatum civilium conscendere possit; hunc tamen, aut sapientiæ, aut ambitionis modum retinet; hancque sibi modestiam indicit, ut malit, consistere in statione viri principis inter nobiliores equestris Ordinis, quàm altiùs assurgere; præferens honestam quietem, studiaque literarum in seducto, vitæ actuosæ, sed habitæ inter celsissimas regni dignitates & munera, quò te tua virtus proveheret: quibus conditionibus, quæ te præstant æquissimum meæ opellæ judicem, qualem in præsens mihi deposco, accedit quod, nec amor imperii, nec spes opimi, aut beneficii Sacerdotalis, aut Episcopatûs, ut apud gentem sacram, te præjudiciis obcæcet, deflectatque à vero, recto & æquo, ut nec metus ferulæ Ecclesiasticæ aut exclusionis liminibus Ecclesiæ, te transversum actum ad obliquum judicium compellat, cui ipsa domus Ecclesia est: à qua nunquam exit, nisi quando pedem domo effert. Ut jam cum tot conditiones boni & æqui judicis in te unum quasi fœdere facto concurrant, plané optimo & recto judicio coram te, aut damnari aut laudari debeam. Utut sit; tam jucunda erit simplicitas dissentientis, quàm comprobantis authoritas. Ge-

XX.

Generoſo & Illuſtri Viro,

DOMINO

EDMUNDO BERY

GOTOFREDO.

Equiti Aurato, Irenarchæ, ſeu Juſtitiario Pacis.

HÆc opella, vir Ampliſſime, ultrò properat ad ſubeundum tuum judicium, id poſtulante amicitiâ quam dignaris mecum colere, & merito tuo, quorum alterum efficit ut id velim, alterum ut debeam; hoc imprimis, hiſce tuis naturæ dotibus, ingenii acerrimi, judicii defæcatiſſimi, & altiſſimi intellectûs, quibus pretium addit ut bractea gemmæ ſuppoſita, cultura penitioris Divini, humanique juris, eruditioniſque amœnioris, nec non pietatis caſtigatioris: tum vita viri conſularis per multa experimenta exacta, per quæ non tam uſum, quàm contemptum mundi didiciſti. Certé probaſti te integerrimum judicem, invictum adverſus gratiam, & fraudibus blandientium intrectabilem, accurantemque, ne cuiquam, nedum afflicto, vexato, & innocenti ſuum jus pereat:

pereat ; nec amico charitas tua , non fides, nec auxilium desit : quæ non do tuis auribus, expertus loquens de te, qui semper apud me implevisti partes viri , suo consilio , consortio & amore , me , vel juvantis vel recreantis, Vale.

Longé

XXI.

Longé Clarissimo Viro,

DOMINO

JOHANNI WALISIO,

S. S. Theologiæ Doctori & Mathematicarum Scientiarum Professori celeberrimo.

QUanquam, jam sunt viginti anni, & quod excurrit, postquam veni in consuetudinem Magni Walisii; attamen nunquam exculpere potui, quænam essent ejus sensa, circa illas Hypotheses quibus moles nostræ novæ Rationis insistit: an illa fuerit indifferentia, an indiligentia rei cognoscendæ? ut jam utrobique debeas esse æquior lector opellæ, ad quam accedes integris animis & nullo partium studio abreptus.

Cla-

XXII.

Clarissimo & Doctissimo Viro,

DOMINO

JOHANNI OWENO,

S. S. Theologiæ Doctori.

ET te quoque, Vir Clarissime, compello, futurum unum ex lectoribus meis, cui hæc nostra perinde placitura confido; ac Vauquelino meo; quocirca quæ illi dico in Gallia, puta tibi dicta esse in Anglia, & à me juxta rogatum, ut author sis rei longé gravissimæ, quam hac dissertatione, aut aggredior, aut molior, diffundendæ ad plures: Opus sané usu & utilitate maximum paro, sed quod parvis momentis ad umbilicum perduco; parvo sané impendio, aut temporis, aut scripturæ;ut quod pené uno temporis puncto & intra ambitum periodi concludo; sed eo fructu, ut non dubitem affirmare, hoc momentum insumptum rationi exequendæ quam doceo, plus effecturum ad debellandum & Papam & Papismum, quam integrum seculum per viam tentatam & tritam ab immensa multitudine, mole & numero virorum & librorum effecit, & quibus postquam pené uno ictu, ævo Lutheri & Calvini à Papa descitum est, reformatio retro, certé potius rursum quam prorsum ivit. In causa potissimum fuit

reten-

retenta à sanctis viris Potestas Ecclesiastica; impositum esse mysterium iniquitatis; plané imbibi; etiam ponendo, rem esse bonam, sanctam & imperatam à Christo, licet via, quæ id ponit & supponit, paulò sit longior & circumductior: nempe quemadmodum sub fuco pietatis, sæpe latet iniquitas, sic Papam omnium maximam (secundum illam quæ fuit Judæ) seu mysterium iniquitatis patravisse & implevisse extruendo imperium terrenum, ereptum mundi Dynastis, fucandoque, ne fraus, iniquitas & impietas dispalescerent, tectorio & involucro potestatis illius sacræ, Ecclesiasticæ & spiritualis; quam ejus vindices, in quibus sunt aliqui Protestantes, rem volunt tam esse bonam, quam pietatem, nec ejus usu, sed abusu in ea errari: ut jam utrobique constet ratio novæ *Rationi*, & causæ jugulo, vel tollendo è mundo, vel retinendo potestatem Ecclesiasticam. Sed si recté ratio putatur (& hunc intellectum det Deus Protestantium doctoribus & antesignanis) tam certum est ruinâ potestatis Ecclesiasticæ, involvi ruinam Papæ, quàm certum est subruendo & dejiciendo columnas & fundamenta domûs, totum ædificium corruere debere: quocirca gaudebant in sinu Patres Tridentini, quod Lutherus & Calvinus illam sartam & integram in reformatione servassent potestatem. Nec minus eo nomine læti erant Paulus V. Baronius, & Bellarminus in controversia inter Papam & Venetos, quod de centum viris, qui Tractatus ederent pro aut contra

F Papam

Papam & Venetos, seu Pontificiis, seu Protestantibus, vix unus fuerit, qui non grande hoc αἴτημα pro concesso arriperet, nempe dari in mundo potestatem Ecclesiasticam, & si quid peccatum esset à Papa, id duntaxat fuisse in ejus abusu: nam, ne unus de Protestantibus extitit, & illis tuentibus partes Venetorum, qui non impingeret in illud saxum abusûs; cum tamen id debuisset esse Jugulum causæ & litis contestatio, tribus hisce Capitibus comprehensa.

1. Quicquid juris & potestatis sibi assumebat Papa Paulus V. in Venetos, fuisse de jure & potestate Domini temporalis in subditos, clientes & fideles.

2. Potestatem Ecclesiasticam duntaxat ad fucum obtentam, cum sit potestas vana & chimerica, adeóque ejus præcipuus actus, fulmen & censura ut est excommunicatio, sit merum terriculamentum avium, nemini nocens qui illud contemnit.

3. Nec si potestas Ecclesiastica res esset realis & bona, magis pertinere ad Papam quam ad quemquam de clero, nec illos attingere debere qui habitant extra, aut territorium, aut provinciam Papæ.

Ejusmodi argumenta nulli præterquam Patri Paulo, seu Petro Sarpio succurrerunt, & qui sané nisi solitarius fuisset, potuisset litem totam dirimendo solo auxilio illorum argumentorum, & Papam & ejus imperium in Venetos & cæteras mundi partes pessumdare. Certé cum semel dixisset in quarta propositione

tione tractatûs cui titulus *Risposta d'un Dottore in Theologia*, non aliam pastoribus ac proinde Papæ datam à Christo potestatem præter potestatem verbi agentis in corda hominum, Bellarminus noluit ingredi in materiam, in qua ipsi Protestantes & Pontificii essent ὁμόψηφοι & concordes, admittendo ex æquo Potestatem Ecclesiasticam: sed ne nihil diceret ea tantum verba reponit: *questo appunto è l'heresia di coloro che tolgono al Papa & alla Chiesa ogni giurisdittione: hæc est illorum hæresis qui Papam & Ecclesiam spoliant omni jurisdictione.* Nam quicquam addere de potestate ipsa Ecclesiastica, aut de illa quæ tribuitur Papæ fuisset cancrum (potius relinquendum, quo diutiùs vivat æger) curatiùs attrectare: quocirca Sarpius observat Papam ejusque legatos imprimis cavisse in Concilio Tridentino, ut ora obturarentur illorum, qui non solum volebant potestati Ecclesiasticæ habitæ à Papa modum & limites ponere, sed & de natura istius potestatis verba facere: nec unquam, si quâ ejus mentio eis fieret, potuisse doctores sic mentem suam explicare ut intelligeretur dari aliquam differentiam inter potestatem Civilem & Ecclesiasticam. Verba sunt Sarpii, quibus aurum non est pretiosius. *Si nega in parole che la giuridittione spirituale sia un dominio come quella del secolare: ma non si sa por tra loro differenza reale.*

Sed subit mirari, quod Protestantes non minus quam Pontificii refugiant, istius potestatis arcana, fraudes, saltem inutilitatem pa-

lam facere aut fieri: quæ non solum causa est durationis Papismi, sed & collisionis inter Protestantes; cum tamen non possint edere, quid utilitatis ex ejus usu in Ecclesias reformatas redundet. Subit quoque mirari, quod qui inter se digladiantur super doctrinæ capitibus, ut pugnant Pontificii cum Protestantibus, Lutherani cum Evangelicis, hi sensibus invicem à se abeunt: sint tamen omnes concordes in consilio retinendi illam potestatem Ecclesiasticam, ejusque excommunicationem: mirarer sané, nec ex hoc stupore emergerem, nisi scirem optimos quosque affectibus & suâ cuique utilitate duci: illam potestatem esse Helenam, quam quisque sibi vellet, esse tunicam, de qua Tacitus, quæ primò induitur & ultimò exuitur: certé Calvinus istius potestatis retinentior, agnoscit tamen epistolâ ad Tigurinos Ministros anno 1553. dari pios & doctos homines, quibus sub Christianis Principibus non videtur esse necessaria excommunicatio, in quibus fuerunt Martyr, Musculus, Gualterus, & venerandus Bullingerus, qui epistolâ ad Dathenum ait, disciplinam quidem esse debere in Ecclesia, sed satis esse si administretur à Magistratu, qua in re longé abeunt ab illis viris quos Calvinus ait fuisse pios & doctos Illi Presbyteriani juxta pii & docti, cum excommunicationem usque adeo necessariam esse Christi institutionem affirmant & salvificam, ut pené eam æquent utilitate Verbo & Sacramentis: nam sic loquuntur in suo Dissensu pag. 63. cæterùm

rùm

rùm ni metuerem ne materia hæc ſequax me abripiat extra modum epiſtolæ, poſſem tibi inſinuare, quibus de cauſis & motibus & qua ratione Poteſtas Eccleſiaſtica in mundum reformatum à Calvino fuerit introducta; (nam ab eo ſolo introductam, aut potius eo authore retentam de reliquiis Papiſmi fortiter affirmo) nempe id factum eſt ex occaſione injuriæ, quam Magiſtratus Genevenſes fecerant in prima reformatione Verbi Dei Miniſtris, diminuendo eorum capita jure civitatis, & arcendo eos à regimine reipublicæ (ad quod jure Divino & humano, exemplo Judaicæ reipublicæ æquum jus habent cum Principibus populi) quam injuriam ulturus Calvinus (an potius, ut credo, meliore mente) ne deeſſet genti Sacræ imperium, videtur in hoſtimentum introduxiſſe hanc Chimericam poteſtatem, imperiumque Eccleſiaſticum ſeparatum & diſtinctum à Civili, & cujus nullus erat uſus in Germania, nec inter Eccleſias fundatas à Zuinglio, qui excommunicationem ut fæcem Papalem valere juſſerat, teſtibus Bullingero & Gualtero. Sed redeo in viam, & novam noſtram *Rationem* cujus tanta eſt veritas & utilitas, ut etiam admittendo poteſtatem Eccleſiaſticam & excommunicationem tam eſſe inſtitutionis Divinæ quàm Verbum & Sacramenta, non minus conficiatur illas adhibitas ad implendum myſterium iniquitatis & fucandum imperium Papæ, quàm ſi de illis ſtatuatur ut de figmentis humani cerebri, & quibus Papa & Clerus authoritati ſuæ velificantur.

cantur. Certè nova noſtra *Ratio* funda eſt cujus marſupio exceptus ſilex uno ictu nec repetito conjectus & adactus in Papam, ad terram daret illum Goliath, & eâdem ruinâ involveret totum Papiſmum & Miſſaticum apparatum. Nec omittendum, quod per noſtam novam *Rationem* facilis & expedita eſt enodatio omnium controverſiarum quæ non ſunt de fide, veluti inter Pontificios ipſos de natura & poteſtate Eccleſiæ, Papæ, Conciliorum: nam per noſtram *Rationem*, Eccleſia Romana, tam eſt imperium terrenum, quam imperium Auguſti & Conſtantini: & perſona quæ ſedet ad clavum imperii tam perperam vocatur Papa & Epiſcopus, quam poteſtas Papæ in terrarum Dominos nuncupatur Eccleſiaſtica & Spiritualis; adeoque tam futile eſt diſputare uter Papa an Concilium præeſſe & prior eſſe debet, quam quærere an Rex an verò Parlamentum præponi debeat. Par facilitas & expedita ratio, per noſtram novam *Rationem* apud Proteſtantes enodandi omnes controverſias, circa naturam & poteſtatem Eccleſiæ, paſtorum, Synodorum, *προστασίας* Epiſcopalis, & circa modum imperii & obſequii in ſacris, & quatenus Poteſtas ſecularis admota clavo, aut regni, aut reipublicæ, eſt caput rector & gubernator, imo Epiſcopus Eccleſiæ: quæ quidem controverſiæ, diſpendio veritatis, pietatis & Charitatis, Proteſtantes in Europa inter ſe colliſerunt. At in Anglia, inter Hierarchicos & Puritanos: hos in Presbyterianos & Inde-

pen-

pendentes divisit, luctuoso sanè dissensu potius quàm Schismate, cujus naturam nemo ante te intellexit, & quam quoque exhibet nostra nova *Ratio*, insistendo illis hypothesibus quas me docuisti.

XXIII.

Summo Theologo,

DOMINO

THOMÆ BARLOW,

S. S. Theologiæ Doctori & Professori in Illustri Academia Oxoniensi, & Bibliothecæ Bodleianæ Custodi.

QUanquam de more Novitas argumenti libro lenocinatur: attamen, seu quia conscius sum meæ tenuitatis; seu quia diffisus titulo libri plus in speciem promittente, quàm in progressu præstare queam, semper metui, ne ejus lectione deterrerentur, etiam prompti ad nova & mira: quocirca, ut mihi lectores pararem, mirum, ni imitari debui agyrtas, qui quò sua pharmaca (an pixides) divendant, solent emptores aliquo spectaculo allicere, vel transeuntes distinere & rogare ut ad se respiciant. Sed has artes, Vir Clarissime, non adhibeo in præsens apud te virum cordatissimum & humanissimum juxta ac doctissimum; certè librorum usque adeò helluonem, & qui cum Plinio Seniore censes nullum librum esse tam malum, ut non aliquâ parte possit prodesse: ut non verear, qui tot Bibliothecas exantlasti, devorasti; imo totius orbis florentissimæ, librisque ac codicibus locupletissimæ es custos, lector & nomenclator, non sumpturum in manus nostram opellam, nec lecturum

ctarum nisi exoratum & precibus nostris permotum: nam & in illa forsan aliquid esse potest quod juvet, si non approbatione, saltem tuâ censurâ dignum, & quod obelo tuo configas; ut si quâ erravi me reducas in viam, certè non laudare sed carpere me, vocabo hoc tuum judicium, Vale.

Claris-

XXIV.

Clarissimo, Doctissimo & reverendo Viro,

DOMINO

THOMÆ MANTONO,

S. S. Theologiæ Doctors.

CUm primùm consilium animo agitavi subjiciendi Epistolæ meæ nuncupatoriæ plures alias, tanquam ad lectores meos, viros Principes, illustres Theologos, Jurisconsultos, Medicos: cumque mihi sponderem futuros æquiores Judices & lectores opellæ meæ de illustri Hierarchia Anglicana, quam de reverendo ordine Presbyterianorum: quos noveram in antecessum, nec visam nec arreptam manibus damnaturos; apud me obfirmaté constitueram, neminem horum, sed potius unum aut alterum illorum compellare, quorum aliqui plané conspirant, cum illis hypothesibus & fundamentis, quibus tota moles nostræ novæ *Rationis* innititur. Nam in Hookero lego (lib. 8.) *Rex est caput Ecclesiæ, quatenus est corpus politicum, alioquin Ecclesia non aliud caput habet præter Christum.* Et in Irenico Edoardi Stillingfleet, p. 47. *Licet objectum constitutionum sit Ecclesiasticum, tum personæ quæ eas definiunt & materia sint Ecclesiasticæ: attamen robur & fundamentum obliga-*

gationis illis parendi, plane civile est. Et pag. 127. *bi Ecclesia in corpus Reipublicæ Christianæ iit, ejus summa authoritas ad eum pertinet, l quem Reipublicæ authoritas.* Et in tract. de xcomm. p. 30. *Vis & virtus, excommunica- onis in foro humano à civili Potestate emanat, que datur proprium effectum illius quod non tat à sanctione Magistratûs.* Quid? quod eo- em tractatu, non aliam admittit excommu- cationem, quàm exclusionem & expulsio- em à cœtu, ut non prætercam Authorem issertationis longé eruditæ, cui titulus est *piscopal Inheritance*, qui pluribus docet, di- nctionem Jurisdictionis in Ecclesiasticam & ivilem esse de fabrica Papæ, *Dogma* (inquit) *Pontificium, asserere regimen Ecclesiasticum stinctum esse à Politico.*

Quanquam, inquam, staret sententia totum estrum ordinem præterire præjudiciis excæ- tum & abreptum, deposui tamen meum gorem, cum de te cogitavi, quem aliquan- o audivi pronunciantem, plus arridere il- d regimen Ecclesiæ, in quo, hinc Magistra- s imperia, illinc pastorum hortationes, sua- ones, persuasiones & monita plus valerent, cui proculdubiò magis arridet modus ex- mmunicationis ab Authore Irenici positus, iam qui ex tripode pronunciatur à Conven- Theologorum Presbyterianorum in suo issensu à fratribus Independentibus, pag. 63. erba sunt *Excommunication should be embra- d as a soule saving Ordinance of Jesus Christ well as the Word and Sacraments*, hoc est, Ex-

com-

communicatio recipi deberet ut salvifica animarum Institutio à Jesu Christo, perinde ac Verbum & Sacramenta, cum tamen inter constitutiones Evangelicas latas à Christo & Apostolis, nullus locus sit excommunicationi; & tametsi constet, multas myriades hominum, vel ad fidem conversas per Verbum, vel in fide firmatas per Sacramenta; attamen ne unum aut alterum exemplum proferri possit hominis cui excommunicatio, nisi quatenus fraus pia, ad salutem profuerit; certé omissam non nocere bonis viris qui cum impiis communicant, testantur Patres, imprimis Augustinus Epist. 48. ad Vincentium, *Manifestum est non contaminari justos, alienis peccatis, quando cum eis Sacramenta communicant.* Testatur venerandus Beza Epist. 2. ad Tilium, *Ut rité accedam ad Cœnam non est mihi scrutandum, quâ quisque conscientiâ ad eam mecum accedat: sed de mea ipsius conscientiâ laborandum est*, &c. ubi plura in hanc rem. Testatur & summus Vir Gerardus Vossius Disp. 21. disp. Theol. & Hist. nec credibile est Calvinum existimasse Excommunicationem de necessitate salutis retinendam esse: cùm, scribens ad Tigurinos Ministros anno 1553. sic loquitur. *De excommunicatione, non omnes hodie idem sentiunt, nec me latet pios & doctos esse homines quibus sub Christianis Principibus non videtur esse necessaria Excommunicatio*, neque enim piis accenseret illos qui repudiant Institutionem ad salutem necessariam; sed vero similius est Calvinum censuisse excommunicationem

tionem

ionem necessariam esse in Ecclesia non ad sa-
ıtem , sed ad firmamentum imperii Eccle-
astici à civili distinctum , quod primus Vir
anctus introduxit in orbem reformatum, &
ui nulla gratia , nulla authoritas accessisset,
bsque illo μορμολυκείῳ & terriculamento.

Hæcce cum animo volverem , religio mihi
ııt , te accensere , Presbyterianis (hoc est
ıinus æquis de mea dissertatione judicibus)
isi nomine pietatis castigatæ in Deum & fide
ıvictæ in Regem , quæ tibi & illis juxta
ınt cordi. Adde quod reputatio Tui, viri,
ıgenio, judicio & candore præstantissimi, cui
nglia superiorem , vix parem non habet
uditione, & quem summo affectu prosequor
ıaximum mihi fuit incitamentum , & ar-
umentum ad bené sperandum de æquitate ju-
icii Tui.

Claris-

XXV.

Clarissimo Theologo,

DOMINO

EDOARDO STILLINGFLEET,

S. S. Theologiæ Doctori & Regio Sacellano ordinario.

V*Elis, nolis, esse lector meus, vel abjiciendo chartas meas, si tibi obtruduntur, ut vix tuo conspectu dignas; vel in manus sumendo, te hoc dilemmate traho, si non adduco ad id quod volo; tibi vel damnandum esse tuum Irenicum, eruditum sane & subacti judicii Opus, adeoque una litura, corrigendum, ne dicam expungendum; vel fatendum, novæ meæ* Rationis *ædificium hypothesibus tui Irenici superstructum esse, sive illæ sint tuæ, sive ab alio occupatæ.*

Ex-

XXVI.

Excellentissimo Viro,

DOMINO

THOMÆ COXE,

Archiatro Regio.

CUm mihi dispicerem lectorem in turba laicorum, quibus solenné est de toto rei complexu, (aut cujusquam quæ non est de fide) quam tracto, imprimis ἀδικάςως pronunciare; viris de clero sæpius in re sua, sua cuique utilitate & studio partium à vero abductis: cum, inquam, in vestro laicorum agmine dispicerem aliquem qui meam opellam in manus sumeret & aliis laudaret commendaretve, tu primus omnium mente occurristi Vir princeps inter Archiatros Regios, quem jam in antecessum compertum habeo, imo certus sum, probaturum esse illam: ut non opus habeam tuum judicium ambire, aut emercari testificatione amoris, quo te prosequor, & in tuo conquiesco; & gaudeo, & exosculor, colo & revereor te tuasque virtutes & dotes; in quarum choro, sunt judicium acerrimum, ingenium comptum & in numerato, morum suavitas & elegantia: Eruditio in re Medica maximis artis filiis par; aditus εὐπρόσιτος, & à quo nemo non recedat doctior, melior, & lætior: quibus ornamen-

tis

tis ut bractea gemmæ ſuppoſita , in Deum citra fucum pietas, per quam nemo tuam domum ab Eccleſia diſtinguat , ſplendorem adjicit. Nam non erit injuria Medici, in eo prædicare , aut religionem aut pietatem , tanquam virtutem ſupervacaneam.

Præ-

 48

XXVII.

Præstantissimo Viro,
DOMINO
JONATHANO GODDARDO,
Medicinæ Doctori.

JUra veteris consuetudinis violarem, si te à quo amari & cui placere hæc nostra velim, unum de lectoribus æquis opellæ meæ non figerem & destinarem, quem jam tot annos novi virum judicio, eruditione, pietate, candore, & suavitate morum & elegantiâ cultissimum: nec sensibus ni fallor abeuntem ab illis hypothesibus, quibus nostra nova Ratio tanquam columnis & tibicinibus insistit, nititur, fulciturque; Cujus meritis, virtutibus & dotibus, cum ubique, tum maximé in illustri Regio Collegio fulgentibus nulla par oratio reperiri potest, quamquam eò major in eo sis, quod vita tua, eruditio, dotes, non cieant ut æra vacua magnos tinnitus, sed ut alta flumina minimo sono labantur, atque minus pompæ, plura in recessu gerant.

XXVIII.

Consultissimo Viro, DOMINO JOHANNI SADLERO, Amico veteri.

C*Um reputo te Jurisconsultum, futurum æquiorem Judicem & lectorem meæ opellæ, quàm quemquam de gente sacra; succurrit illud Optati contra Parmenionem dicentis, Ubique veritatem studiis impediri, imprimis ab illis quorum maximé interest ejus vindices esse; quasi quisque in re sua præpeditus sit amore, odio, invidiâ, adeoque à recto & æquo abreptus: ut Ethnicus qualis fuit Imperator Aurelianus, optimus sit arbiter causæ inter Paulum Samosatenum, & Synodum Antiochenam. Ptolomæus, tempore Judæ Maccabæi, in controversia inter Judæos & Samaritanos. Nam ea fuit sententia & praxis S. Augustini: ut, cum anno 392. in lite inter Ipsum & Fortunatum Manichæum, voluerit stare potius judicio populi Hipponensis, quam cujusquam Episcopi, aut coetûs virorum Ecclesiasticorum. Inde est quod videas viros, hinc de sacro ordine, amore aut imperii aut opimi sacerdotii omnia loca Sacræ Scripturæ*, Dic Ecclesiæ: Sit tibi: Tibi dabo claves, *&c.* & Quicquid ligaveritis, *&c. semper inflectere ad suam potestatem, perperam dictam, Ecclesiasticam:*

cam : illinc de natione laica, ut sunt Grotius & Drusus, vocabulum Ecclesiæ *Matth.* 18. *intelligere de pluribus quàm sunt duo vel tres, quorum judicio pars lædens stare recusat, illisque non de sacra functione, sed de populo viris : qua in re imitantur Papæ adulatores, qui ex quolibet Scripturæ loco quidlibet exculpunt : unde Papali authoritati & imperio velificentur : ut jam rectum judicium expectem ab omnibus tuæ togæ viris, de mea nova Ratione : at non nisi obliquum & perversum à plerisque de ordine Ecclesiastico, nisi forsan tuo judicio obstet, tua meî charitas ; at contra auguror fore, ut operi meo apud te gratiam amor nostrî ajiciat : neque enim soli bene judicant qui maligné legunt.*

XXIX.

Apprimè Reverendo Viro,
DOMINO
RICHARDO BAXTERO.

TE *etiam virum integerrimum, judicio subactissimo & defæcatissimo, tum pietate citra fucum insignem, pono inter eos qui dignabuntur nostra legere, & cui maximè cupiam probari: cui si non placent singula nostræ novæ* Rationis *corollaria, hâc jucundâ opinione me mulceo, mihique gratulor, futurum, ut probes in summa rei animum in magnis voluisse, & consilium explicandi, modo hactenus non audito, naturam mysterii iniquitatis apud S. Paulum. Cui mysterio etiam revelando & recludendo sedulam operam navas, secundum illam quam impendis in mysterio pietatis, exponendo, tradendo & inculcando per conciones & lucubrationes, ipsa intima, adyta, flexus & recessus cordis penetrantes: quò magis confido hac pietate, quam præter res cæteras habes præcipuam, tum hoc judicio subacto, te citra præjudicium & studium partium futurum lectorem meum: imprimis postquam audivi illud de te proferri judicium à viris non usquequaque æquis in Puritanos, quos vocant; tum in multis à tuis placitis abeuntibus, sed probis & cordatis, cæterum judicii acerrimi & emunctæ naris; postquam, inquam, audivi de te hoc judicium pro-*

proferri, Te usque adeò, esse bonum, probum, pium, justi & æqui amantem; nihil gratiæ causâ (nisi veritatis) quicquam credentem, dicentem & profitentem, ut, si standum esset duorum Anglorum judicio in eligenda, reformanda, commendanda, componendaque religione in orbe Christiano, saltem in Britannico, unde illustrior veritas, sanior fides, vita sanctior, pax altior & tranquillior affulgeret, benè ageretur, si non alii Judices assumerentur (si ambo in vivis essent) quàm Jacobus Usserius, nuper Archiespiscopus Armachanus, & Richardus Baxterus nuper verbi Dei Minister apud Kederminsterienses, ad quos referretur de omni controversia & lite, in religionis negotio: non quod vobis lis esset cum quoquam super ingenio & eruditione Divini, humanique juris intelligentia & rerum usu, per multa experimenta; sed quod æquitate cæteris potiores essetis: quorum sententiæ prolatæ, interni sensus concordarent, & cujus nullum esset pretium quàm bene judicasse.

XXX.

Reverendo & Ornatissimo Viro, DOMINO THOMÆ GOUGE, *Amico Conjunctissimo.*

NOn debui te virum apprimé reverendum, quem summo affectu colo & prosequor eximere de choro illorum, quibus impensé cupio, nostram opellam probari: quanquam non est mihi multùm laborandum, ut te habeam ejus æquum judicem, hisce tuis moribus, & hocce tuo vivendi genere; in quo extrorsum & introrsum felix, non pendes ab aliorum, aut judiciis, aut divitiis, & quem multis nominibus omnium hominum beatissimum reputo, in hac quidem vitâ, mente tuâ, sanâ piâ & lætâ, in corpore sano; & re tua non partâ sed relictâ: at in futurâ propter eum animum tuum jugiter foras eminentem & cælestia spirantem, tum præconceptam à te æternitatem: quem novi à teneris, venerandi Parentis curâ & præceptis imbutùm, per perpetuum, parem & æqualem vitæ Sanctæ & castigatæ tenorem adolevisse, & ad vegetæ & crudæ Senectutis hosce primos aditus pervenisse, malis irreprehensibilem, bonis omnibus charum, imo in obvium quemque, seu afflictum & jacentem, seu

ſeu vix de facie notum, comem & beneficum, tantâ charitate, humanitate, pectoris candore, & oris probitate; ut non putem quemquam extare, qui melius te exprimat imaginem viri boni: ad cujus exemplar & mores vivere, & in cujus conſortio & ſinu, mori imprimis vellem: ac proinde, quo de meis laboribus non alium mihi æquiorem aut eligerem aut ſponderem judicem, Vale.

XXXI.

Eximio & Præstantissimo Viro, DOMINO THOMÆ COXIO, *Armigero, amico conjunctissimo.*

CUm constitutum esset mihi dispicere viros eruditione, ingenio, & per sua & aliena experimenta doctos, qui idonei forent Judices & Lectores Opellæ meæ, non alios credidi compellandos præter ætate grandiores, ratus in hos imprimis æquum & subactum judicium cadere. Sed tuî reputatio mihi hoc dictum apud Plautum comprobavit, Non ætate, sed ingenio sapientiam comparari: Tuî, inquam, spe & juventâ properi, & cujus cursus ingenii, eruditionis & prudentiæ celerior est quam ætatis: Nam cum in homine sit duplex naturæ vis, altera corporis, quæ citò, altera animi, quæ tardiùs adolescat: de more fit, ut corpus citò maturum, ad voluptates sit proclive, antequam ab animo nondum adulto cohiberi possit: plerisque in eo tuæ ætatis flexu, aut ad vitia se applicantibus, aut saltem ad virtutem quasi per clivum tendentibus. Tibi contra usu venit; cui bonum virum, probis, piis & ornatissimis moribus esse, tum sedulum & intentum in proposito assurgendi ad magna, grandia, for-

tia

tia & honesta quæque, sit in proclivi, ut in via virtutis per devexum feraris: nam per piam sollicitudinem Parentum & tuam indolem ad virtutem ductilem, tua adolescentia castigatissima, sic ex facili te in juventutem juxta cultissimam transmisit, ut nunc bené agere & sapienter vitam instituere, in naturam vertas, id agens sponté, quod alii ex necessitate faciunt: quò magis in spem, imo fiduciam venio, futurum, ut in hac peregrinatione potius sis alibi quam alius, & per lustrationem mundi discas ejus contemptum & artem supra res terrenas eminendi & vivendi; cæterum domum redeas, non tam melior scientiâ, moribus & prudentiâ quàm limatior: atque hanc ulteriorem limam dabit tibi nostra Gallia, quam ideo destinas finem & fructum tuorum itinerum; in qua, ut ubique, tibi solenne fuit observabis præceptum Nicolai Damasceni, ut ad modum rationis studiorum, tuam & viam & moram instituas, loca & libros quosdam duntaxat videndo, non nullos delibando, alios multo usu terendo.

Reve-

XXXII.

Reverendo Viro, DOMINO JACOBO INNESIO, Amico ſingulari.

CUm tibi pridem notum ſit meum erga te ſtudium, quantùm te diligam, imo amem, ſuaviſſimamque conſuetudinem, pectus candidum, ſanctitatem vitæ & doctrinæ (quam ſanè in te comperi & ſanam & multam) exoſculer, non eſt quod in præſens illud anxiè tibi ingeram & prædicem, cùm cauſa nunc ſcribendi eadem ſit quæ aliis viris doctis & amicis, ut integris animis & judicio æquo meam opellam legant.

Reve-

XXXIII.

Reverendo Viro & amicissimo Capiti,

DOMINO

JOHANNI THORNETONO.

NOn si assignandus est tibi locus in orchestra & quatuordecim ordinibus Procerum, quibus nostram opellam probari velim, debetur unus, inter viros doctrinâ Jugenio & eruditione præstantes, eosque qui consistunt in tertiis ordinibus & inter meos æquales quorum consuetudine & amore miré Capior, & quorum judicio de meis laboribus multum tribuo, & qui suo exemplo vitæ sanctæ & piæ, sperantem & spirantem æterna, suisque curatissimis precibus juvare me possunt apud Deum, cui te νουνεχῶς *commendo.*

Nobi-

XXXIV.

Nobilissimæ & Illustrissimæ Feminæ, DOMINÆ LUCIÆ HASTINGS, *Comiti Huntingdoniæ.*

UT agmen duxit illustrissimus illustrium Anglorum, quos compello, ita agmen omnium claudat Angla illustrissima & eruditissima ; & quam nefas fuisset in turba illustrium hominum (nam tu quoque ut dixit Sulpicius scribens ad Ciceronem de Tullia, *homo* es) non ponere, quos opellæ meæ impensé cupio, & lectores & approbatores. Te imprimis, cui omnes feminæ assurgere debent, quæ nihil muliebre præter corpus habet, quod maligno naturæ errore sortita est: ut quæ vix adolescere cœpit, cum virilibus curis & studiis feminarum vitia exuit: unum tamen retinens præter corpus de sequiori sexu, nempe matronalem gravitatem cum virginali verecundia & modestia, per quam ingenium altum, eruditionem reconditam; Linguarum Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, Gallicæ, Italicæ, & quarum non? peritiam eripis quantum potes aliorum cognitioni: tum hæcce munera Dei, & alia per artem tuam & studium comparata obducis velo indolis, mali nesciæ & inexpertæ Simplicitatis

tatis

tatis : quin si quisquam te pro meritis aut in os , aut aliis laudat , eo nomine plus offenderis quàm alii ad maledicta : forsitan , in ultionem laudis, ut injuriæ, tuorum commendatorum offensionem concitans , hoc dicto, illos plus amori quam judicio indulgére : qua in re , dum minus benigné de alieno judicio pronuncias, malignus es tui Judex.

Amplis-

XXXV.

Amplissimo & Illustri Viro, DOMINO, DOMINO, JOHANNI MEERMAN,

Ordinario Delegato & Toparchæ, nomine Hollandiæ, in Consessu D. ordinum fœderati Belgii; nec non reipublicæ Leydensis veteri Syndico.

C*Um, Vir Amplissime, plurimos habeam in Belgio de omni ordine virorum doctorum, seu de amplissimis Magistratibus, seu de reverendis Pastoribus, consultissimis Doctoribus & professoribus, quos confido non dedignaturos esse lectores hujus opellæ, quam* Jugulum Causæ *voco; immo in summa rei approbaturos; te imprimis, Vir illustris, figi & designavi, qui operis mei esset lector, ut pote quem in antecessum auguror, imo scio futurum laudatorem & approbatorem, si non modi rem ipsam tractandi; certé totius Consilii & Ideæ quam animo & scripto figuravi; ut qui cum fungereris Londini, longé illustrissimo munere extra ordinem legati à Potentissimis ordinibus Fœderati Belgii ad Serenissimum Regem Angliæ, non solum me suavissimâ & doctissimâ consuetudine & familiaritate honoravisti, sed & ingenué fassus es per me & scripta mea, si non pervictum, saltem confirmatum in ea sententia, cujus sum vindex: quin, ex quo ab eo pulcherrimo munere Legati requie-*

quievisti, non semel me beavisti tuis amicissimis literis, quibus aurum non est mihi pretiosius; ut multas causas habeam, in tuo, tum amore, tum judicio, mei (immerentis) triumphandi, illudque, si vita longior suppeteret, potius accipiendi pro hortationibus, aculeis, & incitamentis acerrimis ad capiendum de te exemplum, Viro Divini humanique juris scientissimo, & moribus, pietate, & probitate castigatissimo, Vale.

Illustris-

XXXVI.

Illustrissimo & Amplissimo Viro,
DOMINO, DOMINO,
JOHANNI BORELIO,

A Potentissimis, unitarum Provinciarum in Belgio Ordinibus, ad Serenissimum Magnæ Britanniæ Regem Legato, nuper Extraordinario, nunc verò Ordinario.

AD te perinde (Vir Amplissime) atque ad illustrem nuper Collegam tuum, pertinet Judicium opellæ meæ, quibus ex æquo placituram, certam habeo & spem & fiduciam; quocirca, quod Illi, Tibi dictum puta, nisi quod absque invidia viri integerrimi adjiciendum censeam, id quod in te solum cadit, nempe celeberrimum nomen Boreliorum, jam per seculum integrum, sibi virtute suâ & meritis adoptâsse usum & consuetudinem defungendi munere legatorum ad potentissimos quosque Europæ Reges & Principes; & unà dotes & laudem virorum eruditione, probitate, prudentiâ, consilio & rerum usu præstantissimorum, ut sileam quod ipse expertus sum, de tua humanitate, tuisque maximis in me meritis, quibus me totum tibi devinxisti, imo pene mancipâsti.

Illustris-

XXXVII.

Illustrissimo Viro,
DOMINO DOMINO
CONRARDO VAN-BEUNINGEN,

Amplissimis honoribus, muneribus, & delegationibus defuncto, & etiamnum defungenti: & ad Majora & ulteriora propriis meritis assurgenti.

SÆpe me admiratio subiit, cum imperium Papæ, quod est purus putus Papismus, opus sit, tanta arte, tanto artificio & ingenio contextum, ut quicquid unquam post homines natos fuit astutiæ, artis & solertiæ, præ hujus Papismi telâ, sit merus stupor; attamen doctrinis Romanensibus, seu Religione Romana, nihil extet insipidius, vesanius, futilius & absurdius, ut non potuerim diu me ex hoc stupore exsolvere, unde fiat, quod, hinc tot viri meliore luto formati de Romanensibus, hæc religionis deliramenta, ut suam fidem, tantâ aut pertinaciâ aut pervicaciâ arripiant, tueanturque, ac pro illis tanquam pro aris & focis pugnent: Illinc verò, Protestantium Doctoribus viris judicio & eruditione præstantibus, tantum supersit otii à rebus seriis & bonis, ad quæ sunt nati, ut omne ingenium, omne pene otium, studiumque,

ac operam, impenderint jam ſeculum integrum, & quod excurrit, in chimeris & vacui capitis deliramentis confutandis & expugnandis: poſthabito, aut levius attrectato opere detegendi fraudes & technas adhibitas in fabrica imperii Papalis ſeu Papiſmi, & quarum ſolâ detectione everteretur, etiam ſine armis & ſanguine Papæ imperium, & unà corrueret totum ſyſtema religionis & doctrinarum Romanenſium, quibus à ſolo illo imperio Papali ſuâ pompâ & divitiis, venerationem conciliante futilibus quibuſque, gratia & authoritas accedit, non minus quam ab imperio Turcico, & illo quoque fulgore divitiis & robore illuſtri, accedit authoritas Alcorano. Nam par utrobique ratio: Etenim (atque hac ratione me ex eo ſtupore & admiratione exſolvi) poſtquam modico uſu novi Rationes Statûs, ut loquuntur Itali, quibus ſtant res, tum Turcicæ tum Papales; comperi has & illas, tot partibus conſtare, & iiſdem artibus ſtare: utque Mahumetaniſmus conſtat imperio Sultani & Alcorano, qui eſt regula obſequii & fidei quam Mahumetani præſtant ſuo Imperatori; pari modo Romanam, ſeu Eccleſiam, ſeu Religionem, conſtare imperio Papæ & ſyſtemate doctrinarum quæ ſunt norma credendorum & agendorum, per quæ populi retinentur in obſequio Papæ. Altrinſecus itidem comperi, hinc pari ingenio, arte & ſolertia fabricatum Imperium & Papale & Turcicum ad retinendos in obſequio populos, qui ſuſpiciunt & venerantur quicquid eſt robore pompâ & divi-

divitiis magnificum & in alto positum; illinc verò & Alcoranum & fidem Romanensem pariteresse vacui capitis deliramenta, nisi quod flexa sint ad fulciendam Dominationem & Turcicam & Papalem, & his & illis ab utroque imperio authoritas & gratia accrescant: ut jam perinde sit ad firmamentum Imperii, cum Turcici, tum Papalis, sive Alcorani, fides & Papæ transubstantiatio, purgatorium, cultus imaginum, sanctorum, reliquiarum, crucis, liturgia linguâ ignotâ, indulgentiæ Papales, & ejusmodi, sint febricitantis deliramenta, an verò sobriæ mentis cogitata; modò istis dogmatibus & ritibus accedat authoritas ab imperio, aut Turcico, aut Papali, quo,ut fulgore radiorum solarium pariter aurum, coenum, & palea, coruscant & nitent: quarum reputatio, alté in animum meum infixit veritatem horum corollariorum.

1. Quemadmodum ad casum imperii & Turcici & Persici, omnis fides & authoritas perire debent Alcorani apud illorum imperiorum subditos; sic perinde ad casum imperii Papalis concidere debere, & Religionem Romanam, & totum systema doctrinarum Romanensium, de quibus lis est cum Protestantibus.

2. Ac proinde intacto, aut imperio Turcico,aut Papali, frustra illorum ruinam sperari debere ex confutatione deliramentorum Alcorani, & fidei Romanensis.

3. Sed potius, posthabito labore confutandi & expugnandi illa deliramenta, aut Alco-

rani, aut fidei Romanensis, hujus & illius ruinam expectandam ex ruina imperii florentis & magnifici, hisce deliriis gratiam & authoritatem conciliantis.

Verùm, quanquam vidimus paria in multis facere, tum imperium Turcicum & Papale; tum Alcoranum & fidem Romanensem; tum etiam ruinam sperandam hujus & illius per casum sui cujusque imperii, non puto pari facilitate Turcicum quo Papale ruere & subverti posse: nam illud tantæ molis esset, quam fuit Imperium aut Assyriorum aut Persarum dejicere. At demolitione Papalis imperii evertendi judico ut de mole seu massa lapidea in urbe Asiæ dicta Harmasa, quæ admoto uno digito mobilis & ad ruinam prona erat: at immota stabat, si toto corpore impelleretur. Namque, ut docet nostra nova *Ratio*, cum ad detractionem larvæ & tectorii Potestatis Spiritualis & Ecclesiasticæ, quo obducitur & fucatur Papæ imperium, debeat prodere se & probare ejusdem naturæ, quæ est natura Imperiorum mundi Monarcharum, non diu sacra illa capita ferent Papam imperii aut socium aut dominum; sed ad exemplum Henrici VIII. Regis Angliæ, jubebunt eum alibi quàm in suo territorio res habere, victoriâ sanè tam incruentâ, quam fuit illa, quam hic Rex de Papa reportavit: nec abacto Imperio Papali, diutius erit fides religioni Romanæ apud Papæ subditos, quam fuit apud Anglos, simul ac inde Papæ imperium fugatum est.

Porro

Porro quemadmodum duo imprimis Papam in mundum introduxerunt, *Viz.* Poteſtas Paſtorum Poteſtati Magiſtatûs analoga in greges Chriſti, dein poteſtas ejuſdem naturæ unius paſtoris in alterum per προστασίαν Epiſcopalem: ſic nihil tam reformationem retardavit, quam germana illa & gemina poteſtas ſimiliſque (de priore loquor) poteſtati Magiſtratûs retenta in Eccleſia, cum per indulgentiam Magiſtratûs, tum conſilio virorum ſanctorum Lutheri, Calvini, & Bezæ: unde conſecuta eſt perpetua colliſio, cum fratrum de ordine Eccleſiaſtico inter ſe, tum horum cum Magiſtratu, utut orthodoxo & amico, non ſolum Genevæ primæ originis imperii Eccleſiaſtici inter reformatos, ſed & maximé in Belgio, in quo jam fermé per ſeculum integrum, Magiſtratus & viri Eccleſiaſtici, hi pro imperio, illi pro libertate decertaverunt: (nam in Anglia illud imperium Eccleſiaſticum minus caput extulit, Reverendis Epiſcopis æquo animo ferentibus ſuam juriſdictionem Sereniſſimo Regi ſubjici, ut ſubalternam & inferiorem ſummæ) utriſque in culpa viris, nempe viris de Magiſtratura arcentibus viros de ordine Eccleſiaſtico ab adminiſtratione reipublicæ: quibus tamen æquum jus eſt regendæ reipublicæ cum cæteris ordinibus populi; licet non quâ viris de miniſterio, ſed ut liberis capitibus, quibus ſunt libertas civica, fundus, uxor & liberi: at altrinſecus viris Evangelicis in ſolatium amiſſæ libertatis, an potius in vindictam &

redhostimentum sibi struentibus separatum imperium, plané ejusdem naturæ quæ est potestas Magistratûs: sed tam fucatum vocabulis Ecclesiastici & spiritualis, quam est imperium Papæ in Reges & populos, ut jam nunquam sit futurus finis litium apud vos, circa imperii modum in sacris retinendum, vel a Magistratu, vel à pastoribus, quoad.

1. Ecclesia vestra in unum corpus coalescat, Ecclesia sit in Republica, ut loquitur Optatus; ac proinde hæc & illa uno imperio regantur: nec Ecclesia ulterius suum separatum habeat corpus & distinctum à republica, quàm quatenus pars à toto differt; nisi quando Christiani & fideles coeunt statis diebus in unum locum ad vacandum precibus, ad auditionem verbi, & participanda Sacramenta; extra quam coitionem, non alia sit Ecclesiæ formalis ratio, quam Academiæ, Collegii, & cujusvis cœtûs politici.

2. Nec sit finis litium, quoad Pastoribus Evangelicis, sua, ut sacerdotibus & levitis sit functio sacra, separatim: at nulla jurisdictio virtute functionis sacræ, sed de jure communi, quo ex æquo gaudebant sacerdotes & Principes populi, & gaudere pariter debent viri, & Ecclesiastici & laici sub œconomia Evangelica, illi imprimis, ut æquius est peritiores juris Divini, admoveri regimini cœtuum qui Divina tractant: ita tamen ut in Synodis, Consistoriis & Cœtibus suis, non reputent se magis jus dicere per potestatem Ecclesiasticam, quam Medici in Collegio medicorum

per

per potestatem Medicam, & fabri in Collegio fabrorum per potestatem fabrilem: Sed de sua potestate censeant, ut de delegata à Magistratu amico & benevolo: vel eo infenso, aut non curante res Ecclesiæ, ut de habita per disciplinam confœderatam, quæ supplet locum Magistratûs, ut solenne est in Gallia.

3. Sed, nec erit finis litium, quoad exsolvantur vestri populi futilitate potestatis Ecclesiasticæ & Spiritualis; istiusque avium terriculamenti (de Excommunicatione loquor) nec aliam imbibant & retineant potestatem vi sacræ functionis, præter eam quæ in volentes se exerit, & quæ per Ministerium Evangelium homines transfert à potestate Satanæ ad Deum; à tenebris ad lucem, seu ad cognitionem & amorem Dei, fidemque in Christum.

4. Sed nec finis erit, quousque vestri populi exsolvantur & liberentur futilitate & vanitate duplicis generis Seniorum in Ecclesia, quorum uni verbum est concreditum, unà cum regimine Ecclesiæ, alteri regimen duntaxat sit demandatum: non erit, inquam alta pax apud vos donec futilitas istius commenti obtinet, nec ea veritas animis eorum insidet, quod potestas Seniorum secundi generis eadem est quæ potestas Magistratûs, eaque vel delegata ab ejus potestate extra cœtum, vel à corpore Ecclesiæ quæ rationem habet liberi populi. Nam si ratio rectè putatur, Seniores, tam primi, quam secundi generis, proferunt quidem animi sui sensa putà in Synodo quatenus pastores Christiani,

 fideles,

fideles, viri prudentes & consulti Divini & humani juris: sed canones condunt, jubent & obligant, ad obsequium eorum, præsunt in Synodo ad majorem aut minorem numerum sententiarum aut suffragiorum discedunt, quatenus viri potestate Magistratûs & jure communi præditi.

5. Denique perpetuum erit litigium quoad Ecclesiâ & republicâ in unum corpus coalescentibus, viri Ecclesiastici redonentur libertate civica, & communi jure quo potiebantur sacerdotes & levitæ cum capitibus familiarum & Principibus populi.

Profectò, si hæc veritas comperta perinde esset viris sanctis de functione sacra apud vestrates, atque Principibus de gente laica, tibi imprimis, procul dubio (ut examina apum exiguo pulveris jactu) considerent omnes lites, de potestate, tum Magistratûs, tum pastorum circa sacra. Sed hactenus, aut ignorantia, aut studium partium amorque imperii, qui est, ut loquitur Tacitus, Tunica quæ primò induitur & ultimò exuitur, in causa fuit quominus res Ecclesiæ ad votum pii Magistratûs componerentur; nec extra culpam fuit Magistratus, forsan ignorantiâ proprii juris & alieni, capite diminuendo Pastores Evangelicos: quam injuriam gens sacra sumpsit in occasionem sibi imperium in Imperio ædificandi; nam in ea sum sententia, æquum esse & expedire, ut tamdiu Magistratus fraude illâ piâ jurisdictionis Ecclesiasticæ & ejus bruto fulmine terreatur & circumscribatur;

tur;

tur; atque veluti septo & repagulo in arctum cogatur, quoad viros de clero in conditionem ingenuorum & capite liberorum asseruerit, redditâ illis civica libertate.

Sed cum illam quoque veritatem nostra nova *Ratio* illustriorem faciat, eam tibi imprimis probari cupio, viro virtute, eruditione, judicio, morum elegantiâ & suavitate, &, quod caput est, sanctitate, tum togâ & dignitate consulari famâque meritissimo, quem Patriæ tuæ vocem Periclem, non sibi sed reipublicæ natum: qui quantus vir sit pace & bello, consulari prudentiâ & fortitudine, sed quæ plura mente quam manu agit, testantur Gallia, Anglia, Germania, Suedia, ipsumque Belgium, testantur Dania & Hafnia (vulgo Kopen-hagen,) quæ te suum liberatorem & ὑπερασπιστὴν agnoscit: quibus factis heroicis spectante & stupente totâ Europâ, cum nulla par oratio reperiri possit, multò minus intra ambitum Epistolæ; tutiùs & religiosiùs faciam si id silentio supprimam, quod voce & stylo resignare, nec possum, nec audeo, ad exemplum ingeniosi pictoris, qui velo obumbravit quod penicillo exprimi posse desperabat. Hæc non damus tuis auribus, id imprimis quod felici temperamento sociavisti res raró coeuntes, in summa fortuna Summam humanitatem; & in flore ætatis, multorum senum, qui vitam per multa experimenta egerunt, prudentiam, in unum caput aggestam. Hæc, inquam, non damus tuis auribus, sed rei veritati, quæ me impulit ad te quasi laciniâ

pren-

prensandum, rogandumque, ut digneris esse meus lector, imo Judex, per quem aliis probentur, quæ tibi non ingrata fore auguror & flagrantissime opto. Unus pro populo mihi eris, ut populus pro uno.

Claris-

XXXVIII.

Clarissimo & Celeberrimo Viro, DOMINO SAMUELI MARESIO,

S. S. Theologiæ Doctore & Professore Primario in illustri Academia Groningana.

ET te quoque, Vir magne, licet Gallum, pono inter illustres Belgas, (ut pote adoptione Belgam,) quibus probari nostram opellam impensè cupio: Te, inquam, Principem virum, Primarium Theologiæ Professorem & Doctorem, & veteranum bellorum Domini militem, eò ardentius figo & dispicio lectorem & judicem novæ meæ *Rationis*, quòd, cum sis de ordine Ecclesiastico, natione sanè de more præpedita, vel suâ cuique utilitate, ut est amor imperii, vel præjudicio, ne possit aut velit ejusmodi veritatem, quam palam facio cernere; noverim te extra hunc ordinem & morem judicia proferre ἀδέκαστα; etiam pugnantia, vel cum tua privata utilitate, vel cum consuetudine tuorum symmystarum, qui in argumento consimili illi quod præ manibus habeo, similes sunt illis qui fluminibus innatant: non eunt, sed feruntur; aut eunt quâ itur, non quâ eundum est. Quò magis, plus, quam cujusquam laicorum glorior judicio virorum tui ordinis, vel amplecten-

plectentium, ut est meus Vauquelinus, hypotheses illas, quibus tota nostra *Ratio* innititur, vel proximé ad illas accedentium, in quorum numero te pono, quod veritatis amorem & conscientiam præferatis, vel privatæ utilitati, vel adversis & iniquioribus etiam fratrum & Sanctorum virorum de vobis judiciis. Nam pené ausim me hac jucundâ opinione beare & sustentare, Te non proximé, sed per omnia & omnino esse, aut futurum, meum, cum probando illam *Rationem* quam trado confutandi Romanenses doctrinas per ruinam imperii Papalis, & hanc accelerandam per detractionem larvæ, quâ Papa illud obtegit; tum admittendo illas hypotheses, quibus nostra *Ratio* superstruitur, ut non debeam gloriari, te & me etiam in hoc hypotheseum fundamento sternendo propemodum, sed omnimodo ὁμοψήφους esse. Namque cum non detur medium inter authoritatem coercitionis & authoritatem persuasionis: inter potestatem Magistratûs & potestatem Verbi; multò minus inter potestatem proprié dictam, ut est Magistratûs, paterna, maritalis, & potestatem Pastorum, quæ est verbi, solummodo in volentes, eosque quos ex nolentibus præstiterit volentes, se exerentis: quamcunque in partem te vertas, aut te meis partibus constrictum teneo, aut te amando ad castra illorum, ut est Clarissimus Voetius, qui sunt Potestatis Ecclesiasticæ acerrimi vindices; neque enim habes ubi consistas, aut pedem figas, pendulus inter hanc & illam potestatem: postquam

quam à te audivi, Judicia & decreta Pastorum & Synodorum, tam subjici judicio potestatis secularis, quam jurisdictio subalterna summæ & supremæ; & legi in tuo Collegio Loc. 16. *Decreta Pastorum, non obligant conscientias quâ judicio Conciliorum, sed quâ Dei Verbo sunt conformia, quo respectu sunt adhuc revisioni obnoxia, multò magis quàm ipsæ Paulinæ conciones.* Et Ibidem, *Ministri Ecclesiæ in Concilio, non tam referunt judices ad senatum evocatos, quàm Doctores prudentes & peritos ad Concilium coactos: & quæ est Medicorum consultatio circa valetudinem corporis, talis est Synodorum constitutio in rebus ad animum spectantibus.* Quibus machinis (nec aliis) verbero & diruo mænia Potestatis Ecclesiasticæ, vel à latere Politicæ & civilis incedentis, vel hanc sibi subjicientis, quo in conatu Papa suum imperium ad summum iniquitatis apicem provexit: nam firmiter imbibi per illam potestatem, vel solummodo collateralem, impletum fuisse mysterum iniquitatis, illam scalam & ascensum fuisse ad Papatum & sub hoc fuco Papam ædificavisse suum imperium in mundi Dominos & populos: in qua sententia tantò magis firmor, quod etiam admittendo, illam potestatem (quam pertendo meram esse chimæram & figmentum humani cerebri) tam veram & realem esse potestatem, imo tam bonam & sanctam, imperatamque à Deo, quàm est ipsa pietas; non minus existimandum sit per eam impletam fuisse, Prophetiam de mysterio iniquitatis & de homine

mine peccati, sed ad eundem modum quo scelus pietate fucatur, mens tristis fingit jocum, & odium fallacibus blanditiis velatur: ut jam perinde sit, tum ad firmandam, tum ad infirmandam veritatem novæ nostræ *Rationis*, tum ad impletionem mysterii iniquitatis per potestatem Ecclesiasticam, sive hæc sit res bona, sive mala, Ens *Rationis*, an verò reale: cum utrobique constet ratio *Rationi* meæ, & mysterium iniquitatis per eam potestatem, seu chimericam, seu rem bonam & seriam complementum suum habuerit, ut fusius doceo suo loco, unde certus sum, si conatus sum parva ad eversionem Papalis imperii per novam nostram *Rationem*, te per eandem posse magna perficere, si tibi Deus hanc bonam mentem daret, per eum jugulum Papam aggrediendi. Nec despero, qui quarta opima jam dudum de erroribus Pontificiis & Socinianis reportavisti, te in hac cruda senectute, miranda eruditione, etiam de summa rerum, hoc est de imperio Papali relaturum, Papam adoriendo per arma, quæ, unà cum loco in quo solummodò est penetrabilis, tibi indico: nam hoc & illud tantum præstare possum, tibi provinciam relinquens validiori brachio, illa arma, telaque intorquendi & excutiendi, atque ex destinato infigendi, Vale.

Reve-

XXXIX.

Reverendo & Doctissimo Viro, DOMINO JACOBO GAILLARDO,

S. S. Theologiæ & Philosophiæ Doctori, & in Ecclesia Gallica quæ Leydæ est, Mysteriorum Divinorum dispensatori fidelissimo.

ET tibi duplici nomine, Vir Clarissime, & nostrati & adoptione Belgæ, debetur locus inter illos, quos mihi magnopere deposco lectores & judices istius opellæ: & quem modò recludentem felicissimo ausu, in oratione tua inaugurali, (opere defæcatissimi judicii & eruditissimi ingenii) mysterium pietatis, nunc magnoperé exoptarem, huic quoque mysterio, quod est iniquitatis, revelando, aliquot horas impendere; cum *iniquitatem*, seu imperium Papale per omne nefas extructum in Reges & nationes, prodendo, & terrenum esse, & ejusdem naturæ, quæ natura est mundi Monarcharum in suos subditos; tum velum interpositum potestatis Ecclesiasticæ & spiritualis, quo ne fraus imperii terreni dispalescat, obducitur, & in quo positum est *mysterium*, auferendo. Mirum ni illud sit justulum causæ & per illud jugulum summus Theologus totum Gaillardum exprimens,

primens, Papam prehendens, plus unâ horâ proficeret ad evertendum Papale imperium, & eâdem ruinâ involvendum, Romanam, & Ecclesiam & religionem, quam hactenùs toto seculo effectum est per illam viam sigillatim confutandi Romanenses Doctrinas; & per quam ipsa reformatio substitit ubi cœpit, nec ulterius provecta est; quin potius retrorsum quam prorsum ivit: quocirca te vehementer, Vir Magne, hortor, ut secundum negotium patefaciendi mysterium pietatis, quod doctrinâ & vitâ palam & in seducto (ut solenne est tibi, in tua prius anima quam in ταῖς τῶν ἄλλων ψυχαῖς ἐπιμελετᾶν ἐνσίζεσθαι, ut loquitur Nazianzenus) sedulò accuras, satagas; ut per eam viam, nulli melius quam tibi notam, mysterium iniquitatis aperiatur & in apertum proferatur.

Longè

XL.

Longé Clarissimo Viro, DOMINO ISAACO VOSSIO,

Magni & Summi Viri Gerardi Johannis Vossii filio perinde Magno.

SÆpenumerò, Vir Magne, replicanti causas, cum Papismi introducti in orbem Christianum; tum reformationis à Papismo non ulterius perductæ & provectæ, postquam semel illuxit tempore Lutheri, Zuinglii & Calvini; una potissimum continuò obversatur mihi, à qua ut ab ulcere jugiter urente, & continenter Ecclesiam Dei affligente, non queo manum retrahere; quàmque alté imbibi verum esse mysterium Iniquitatis, cujus jam tempore Pauli primulæ radices pullulabant. Atque illa est, cum pastorum in greges Christi, tum unius pastoris in cæteros symmystas & ejusdem ministerii Evangelici consortes per προστασίαν episcopalem injusta vendicatio & occupatio potestatis perperam dictæ Ecclesiasticæ, sed quæ ejusdem est naturæ atque potestas Magistratûs, per quam quidem scalam, tum potestatis Ecclesiasticæ, tum prælationis episcopalis factus est ascensus ad Papatum. Id docet summus Vir Claudius Salmasius *Apparatus* pag. 169. de ὑπεροχῇ Episcopali, cum

dicit, illam fuisse venenum, quod corrupit Ecclesiam, & quæ congruenter invexit προστασίας Metropolitanorum in Episcopos, & Papæ in Metropolitanos: sed reticet istius προστασίας fundamentum fuisse Potestatem perperam dictam Ecclesiasticam; cujus ruinâ, aut illâ nunquam comparente, aut concidisset, aut nunquam exorta fuisset illa προστασία: certé Primatus in Ecclesia, ac proinde & ipse Papa nunquam Caput extulisset. Fateor optimo consilio & optima mente viros sanctos in reformatione eliminasse, cum in Gallia, tum in Belgio illam προστασίαν: sed, quandiu non est eversum fundamentum, non evulsa radix, seu potestas Ecclesiastica, inde semper surculi & propagines funestissimi pullularunt potestatis analogæ Papali, etiam in Ecclesia reformationis castigatissimæ, apud quam fuit potior ἰσοτιμία inæqualitate pastorum. Profectò si Dominus Jesus, aut Apostoli, suam nobis hodie sanctam præsentiam in regimine Ecclesiæ accomodarent, pertenderem obfirmato (at subacto) judicio, non aliam sibi potestatem vendicaturos, quam quæ est persuasionis, per quam homines traducuntur à potestate Satanæ ad Deum, à tenebris ad lucem, & arguuntur peccati, justitiæ & judicii, quæ in volentes duntaxat se exerit: ita tamen ut è nolentibus volentes præstet. Nam si quid insuper moliuntur Pastores, quo invitos in arctum cogant & ad officium compellant; eæ non sunt partes Pastoris Evangelici, imo nec Christiani quâ Christiani, nec fidelis
quâ

quâ fidelis, sed viri prudentis suas res ordine dispungentis. Potestas est disciplinæ confœderatæ, assumptæ per consensum totius societatis, Magistratu, aut non curante, aut non attendente ad res Ecclesiæ; at delegatæ ab eo, amico & benevolo: Potestas est communis omni Societati, Collegio, cœtui virorum, ut Theologorum, Jurisconsultorum, medicorum, mercatorum, fabrorum: quorum peritiæ in sua arte, functione & scientia credendum, non jurisdictioni obtemperandum, quæ nulla est virtute functionis, nec intra, nec extra cœtum, sed de jure communi quatenus sunt cives & libera Capita: quorum decreta à majori parte suffragiorum lata, inficeté & absurdé quis diceret Consectaria esse potestatis aut jurisdictionis, Theologicæ, mercatoriæ, fabrilis, & Medicæ. Hæc cum sint veritatis tam obviæ & expositæ, quam verum est, Sole exorto diem esse; non possum satis mirari ei veritati refragari tot viros pios & sanctos de ordine Ecclesiastico, dum sibi aliquam potestatem, præterquam quæ fuit verbi, tum Christi & Apostolorum, virtute clavium & potestatis ligandi & solvendi adjudicant; unde alterum Papam, saltem geminam & germanam Papali potestatem præficiunt Ecclesiarum reformatarum cœtibus: atque per id perpetuum contentionis funem in Ecclesia ducunt & collisionum fomitem inter fratres alunt circa modum potestatis qui detur, aut Synodis, aut Pastoribus, aut Magistratui circa sacra. Verum quanquam viris

sanctis relinquerem suam seorsim potestatem in qua tantopere sibi placent, tanquam jure Divino retinendam; id mihi saltem indulgebunt, quod maximé molior in hoc Jugulo Causæ, ut quemadmodum sub fuco pietatis, impietas sæpe latet, aliquando in perniciem alicujus eruptura, sic sub larva potestatis Ecclesiasticæ & spiritualis Papam imperium terrenum extruxisse in Reges & populos; & per ejus fulgorem, pompam, divitias & robur, quibus illustre est & magnificum, gratiam & authoritatem conciliasse deliramentis doctrinarum Romanensium: neque inficiabuntur, larvâ illâ detractâ, & Papâ probante, suum imperium naturâ consimile imperio Potestatum secularium, hasce non diu laturas ejusdem imperii aut consortem aut Dominum; nec longam moram, abacto semel imperio Papali, habituras Doctrinas Romanenses; quibus nulla amplius gratia & authoritas accedunt ab imperio illo Papæ, fulgore suo, pompâ & divitiis, aut amorem, aut terrorem (certé venerationem) conciliante. Sed meo judicio potéstas Ecclesiastica & spiritualis (sive ens reale sit, sive fictum) fuit per plura secula Equus ephippiatus sollicité adornatus & curatus, in spem ut aliquando sessorem Papam admitteret; qui insidens huic Bucephalo sibi imperium majus & potentius imperio Alexandri pararet: at *προστασία* Episcopalis fuit subex suppedaneus, seu strepa per quam Papa in dorsum istius Equi evaderet.

Ad te nunc, Vir Clarissime, meum sermo-

nem

ıem converto : nam habeo quod te de pluri-
ɔus ſubmoneam, horterque, non tam tui
ꝗuàm reipublicæ literariæ, (imprimis Chri-
ſtianæ) causâ. Novit natio Doctorum te to-
um Patrem referre, ejuſque veſtigia implere,
ıſque adeo ut cum nemo unquam extiterit
/ir ingenio, eruditione omnigena, imprimis
ocupleti penu Hiſtoriæ, ſeu ſacræ, ſeu exo-
icæ, & conditione, ac genere vitæ extra labo-
·em concionandi in orbem, ut contingit genti
acræ; cum inquam nemo hiſce conditionibus
:xtiterit qui munus confutandi Baronium (ſi
lemandatum fuiſſet) dignius Parente tuo ex-
ɔleviſſet; ſic neminem novi, cui hæc provin-
:ia potius quam tibi demandari debeat, nec
ꝗuemquam, qui eam felicius ſuſtinere & exe-
ꝗui queat: in quem non ſolum conditiones
llæ concurrunt, quas in Parentem tuum ca-
lere dixi, ut te idoneum ſuſcepti ſemel mu-
ıeris præſtent, ſed & longé plures: ut ſunt,
Res, non parta, ſed relicta, Vita lare ſecre-
o & in ſeducto, nec pulſata, ut erat tui Pa-
·entis, tot negotiis, curis, & ſtudiis, inductis,
ıvocantibus & intercurrentibus; tum major
ibrorum copia, ætas florens & conſtans, va-
etudo firmior: ut non putem conſilium pru-
lentius poſſe capi ab Illuſtriſſimis & Potentiſ-
imis Unitarum Provinciarum Ordinibus,
ꝗuam ſeponendo, & te ad id muneris, &
ua dona, quibus te ſuum civem remuneren-
ur: Nihil enim niſi heroicum à te in eo ge-
ıere ſtudiorum expectandum confido.

Ego ſané tibi longé impar, animo agita-

veram opus in Baronium, multis in hanc rem congestis & conditis: sed prohibuit infirmior valetudo, quæ me jugiter de discessu ex hac vita submonuit, & de abjiciendis chartis & operis consilio, quod nunquam me vivo ad umbilicum perduxissem. Sed nec tam mens erat Baronium κατὰ πόδας sequi, quam totum exenterare, molemque ædificii ad terram dare; dirutis illis columnis quibus nititur, imprimis illo tibicine seu fulcro Potestatis Ecclesiasticæ uni Ecclesiæ Catholicæ adjudicandæ, ad cujus clavum unus sedeat, (nec alius magis idoneus quam Papa) cui, tum ejus Jurisdictioni, legibus, imperio subsit omnis anima quæ Christo nomen dedit; tum omnia negotia, imperia, regna, nationes, populi mancipentur; nam diruta eâ solummodò columnâ quæ est de jurisdictione Ecclesiastica retinenda in mundo seorsim à Civili, diruitur quicquid illi à Baronio superstruitur: Et revera nisi sub Evangelio plus mentionis factum fuisset Potestatis Ecclesiasticæ seorsim à Potestate seculari habendæ, quum sub lege, nunquam mysterium Iniquitatis, aut extitisset aut impletum fuisset. Quod sané alté imbibi esse imperium terrenum Papæ in Reges & nationes, fuco Potestatis Ecclesiasticæ & spiritualis obductum, ne fraus, aut potius iniquitas dispalescat.

Porro, Consilium erat duplici viâ Baronium aggredi: unâ nectendo catenam Corollariorum quibus tanquam Hypothesibus moles Baroniana sustinetur, & unâ operâ enumerando

gradus

;radus ascensûs quibus Papa pervenit ad culnen sui Imperii, & sibi subjecit Reges & naiones: alterâ exhibendo veram imaginem 'eteris Ecclesiæ & regiminis Ecclesiastici: De .ac & altera, pauca apud te dicam & quate.us Consilium erat consutare Baronium; & 'rimò, de istis Corollariis & Gradibus ascenûs.

1. Cum jure Divino naturali & gentium, nâ jurisdictione, uno imperio res Sacræ & iviles, Ecclesia & Respublica, ordinentur; prinum molimen, & primus gradus ascensûs uit, persuadere mundo, distinctis curiis, fois, legibus & judicibus, imperium circa Sara distinctum esse ab imperio circa civilia & 'olitica: quæ opinio, tantò altius animis 'astorum & Christianorum veteris Ecclesiæ, edit, quòd cum cogerentur sub Magistratu nfenso & Ethnico, res suas sibi habere, & Magistratum erigere in sua disciplina confoelerata, facilé in animum induxerunt, id uod necessitatis erat & ad tempus, quoad ancti ut loquitur St. Paulus, hoc est fideles Magistratus orbem Christianum regerent, deere in legem perpetuam transire, ut sub uovis Magistratu, seu amico seu infenso, 'astores retinerent suum forum, suam seorm Potestatem, sua judicia, suas leges & uurias; atque hanc Potestatem veré & justé, : citra ἀκυρολογίαν, & dici Ecclesiasticam, & etineri virtute Clavium & Potestatis ligandi : solvendi in solos Pastores, collatæ.

2. Cumque Pastorum & Episcoporum

omnis authoritas sit persuasionis, secundum molimen fuit, ut illi sibi dominatum coactivum (qualis est Magistratûs) in greges Christi assumerent.

3. Tertium molimen fuit, ut ad fucum faciendum, illum dominatum fucarent, incrustarentque, vocabulis Potestatis Ecclesiasticæ & spiritualis, virtute clavium & potestatis ligandi & solvendi, ad solos Pastores Evangelicos pertinentis.

4. Cumque omnes Pastores seu Episcopi, sint ἰσότιμοι & suppares, æqualisque authoritatis per Divinam constitutionem, quartum molimen fuit, ut unus Pastor eundem dominatum in Collegas suos & symmystas assumeret (qualem tota gens sacra modò sibi assumpserat in greges Christi) per προστασίαν episcopalem: atque de utroque molimine; & omnium Pastorum, & unius, loquitur sacer codex: de primo quidem Petrus capite quinto primæ Epistolæ: at de secundo, Apostolus Johannes in persona Diotrephis.

5. Cumque, paulò post tempora Apostolorum; unaquæque Ecclesia, particularis, suum haberet Presbyterium, quorum singula capita æquali authoritate essent prædita, nisi quod præses cœtûs & moderator sermoni & precibus publicis imprimis dans operam, peculiari nomine diceretur Episcopus; quintum molimen fuit, ut Episcopus, non symmysta, sed Dominus esset suorum collegarum; tum solus, horum Potestatem in gregem, sibi vendicaret.

6. Cum-

6. Cumque ubi cœperunt vocabula & gradus Episcoporum, Archiepiscoporum, Primatum, Patriarcharum, & Papæ esse in usu, Episcopus tantum esset primus ordine sedendi inter Presbyteros, & itidem Archiepiscopus sedens inter Episcopos, solâ προεδρείᾳ potior esset; & pari modo Primas inter Archiepiscopos, solummodò primum locum primi scamni premeret: sextum molimen fuit ut quemadmodum Episcopus commutaverat suam προεδρείαν in jurisdictionem in Collegas; sic Archiepiscopus se gereret erga Episcopos suæ Provinciæ, & sic porro, ut Primas qui dioceseos suæ primus erat in Collegio Achiepiscoporum, sibi dominatum in hos pararet, ut Patriarcha in Primates, Papa verò in Patriarchas.

7. Cumque solenne esset ut Episcopi in toto imperio Romano, imo omnes Christiani adirent primum imperii Episcopum multâ cum significatione & testificatione obsequii, propter dignitatem urbis, cujus erat Episcopus, usurpatis solennibus verborum formulis, quæ etiam apud æqualem & comparem fiunt, hoc longè fuit magnum molimen, ut civiliter tantum dicta, acciperentur tanquam officia delata à subdito & inferiori, suo feudali Domino.

8. Cum stante imperio Romano, id imperii diceretur Catholicum, universale, œcumenicum; Roma etiam ab Ethnicis vocaretur caput orbis terrarum, & appellatio Catholici tribueretur Episcopis & Synodis, octavum mo-

molimen fuit, ut etiam concidente & diviso imperio in partes, cum iisdem vocabulis res ipsa, & vis ac spatium imperii transirent ad Papam.

9. Sed maximum momentum fuit elatio Potestatis Ecclesiasticæ, cum qua assurrexit Papa, seculis quarto, quinto, & sexto; cui elationi occasionem præbuit erectio tribunalium Ecclesiasticorum in toto imperio Romano à Constantino Magno: inter quæ tribunalia Romanum imprimis caput extulit, propter Urbis dignitatem, & in quo cum diu Papa jus diceret & leges daret per Potestatem Diplomate Imperatorio indultam, mox cadente in Occidente imperio, derivari voluit eam Potestatem non ab Imperatore, sed à Christo pro sua potestate ligandi & solvendi, nam & reliqua tribunalia, ad exemplum Romani, sibi vendicaverunt Potestatem, non tanquam ab Imperatore, sed à Christo derivatam; quoad Papâ concedente in jura Imperatoris, illum omnis jurisdictionis Ecclesiasticæ fontem & originem agnoscerent.

10. Cumque canonibus veris primorum Conciliorum, omnes Episcopi magnarum sedium æquarentur dignitate & authoritate, id fuit magnum molimen cudere & supponere falsos Canones, quibus plus authoritatis tribuebatur Episcopo Romano quàm cæteris; quemadmodum fecerunt Zozymus, Bonifacius & Cœlestinus in negotio Appiarii.

11. Cumque his artibus & moliminibus non posset Episcopus Romanus plenum jus imperii

imperii possidere, in totum Ecclesiæ Catholicæ clerum, neque in Reges & populos: intercedentibus & obstantibus Papæ assurgenti, Sacrâ Scripturâ, Patribus & Canonibus veterum Conciliorum, culmen, apex & colophon omnium moliminum & fraudum fuit medio seculi noni cudere Decretales; quæ ubique receptæ pro veris, congruenter & æquo jure attribuerunt Episcopis Romanis eum modum imperii qualem exoptabant, & quo imperio moveri, pelli & deturbari non potuerunt, etiam decretalium fraude detectâ: quæ quidem decretales contulerunt ad fabricam imperii Papalis, quod tabulata ad fabricam ædificii lapidei, & quæ non sunt impendentis ruinæ causa, etiam tabulatis illis amotis, nec per earum absentiam, minus durat, statque fabrica.

Longum esset persequi & recensere omnes columnas, tibicines & fraudes quas Papæ adhibuerunt ad firmamentum imperii Papalis (ut sunt Monachorum mandræ) & quarum hæ duæ fuerunt longé præcipuæ, Potestas Ecclesiastica & Decretales: quibus pene solis Papa debet ortum, incrementum, & ultimam manum sui imperii. Certé Petrus Sarpius & Fulgentius in vita hujus notant maximum momentum Papalis imperii erecti, introducti in orbem Christianum & firmati, deberi Potestati Ecclesiasticæ; atque ejus non solum introductionem, sed & elationem Papam provexisse ad id culminis quod nunc insidet; cæterum illam potestatem invexisse *προστασίαν* Episcopalem,

lem, & hanc fuisse scalam ascensûs ad Papatum; unde liquet nunquam Papam ruiturum, nisi per eum jugulum prehendatur: cum tamen nulla sit spes, ut vindices, aut potestatis Ecclesiasticæ, aut prælationis episcopalis, ut sunt pene omnes de clero viri, hunc Jugulum petant, imo per ullum jugulum vitam Papæ eripiant, cum illa unica hypothesis credita, retenta & recepta *quod detur in Ecclesia media potestas inter potestatem Verbi, quæ in solos volentes agit, & potestatem Magistratûs*; aut Papam aut Papali consimilem potestatem introducat in orbem Christianum certé congruenter præficiat Papam caput, & summum rectorem Ecclesiæ Catholicæ, ejusque imperio sic subjiciat mundi Monarchas (etiam nullo præsidio petito à Scriptura sacra, Primatu Petri, & Decretalibus,) ut non videam quâ ratione nixi, possint hoc imperium detrectare, nam

1. Nihil magis rationi est consentaneum quam ut uni Ecclesiæ Catholicæ, uni fidei, una jurisdictio Ecclesiastica & Catholica respondeat.

2. Et quemadmodum civili potestati attribuitur suum caput, rector, & gubernator; sic Ecclesiastica suum habeat.

3. Et cum Ecclesiastica latius pateat quam civilis, saltem privati dominii, sit nobilior, æquius esse, ut ei civilis, eoque magis privati territorii, subjiciatur, quam hæc alteram sibi mancipet.

4. Atque ut concordat cum ratione ut Re-

ges

; & mundi Monarchæ ſe aggregent ad Ec-
ſiam Catholicam, ejus ſint membra; ſic par
: uţ capiti Catholicæ, ſeu juriſdictionis, ſeu
cleſiæ morigeros ſe præſtent.
5. Et cum in uno territorio, non poſſint
æ juriſdictiones collaterales diu ſtare, ni
a ſubjiciatur alteri per ſubordinationem,
uius eſſe ut civilis Eccleſiaſticæ, quam hæc
ſubjiciatur.
6. Et ſi citra Papæ conſiderationem Syno-
s convocata ex Epiſcopis unius privati ter-
orii,ſibi meritò vendicat ſummum regimen
cleſiæ iſtius territorii; quantò magis æquum
ſeu Papam ſeu Synodum ex Epiſcopis Ec-
ſiæ Catholicæ convocatum habere rectum
minium, ut vocant Eccleſiaſticum, in
nnia membra Eccleſiæ Catholicæ.
7. Et cum juriſdictio Eccleſiaſtica, non ha-
at ut civilis certos limites, nec caſtellis,
ontibus & fluminibus terminetur; imo cæ-
; ipſos, ut volunt, pertingat: cumque
am cura totius Eccleſiæ, incumbat privato
piſcopo, imo Miniſtro cuique Evangelico,
juncta & demandata ſit, quantò æquius
, ut caput Eccleſiæ Catholicæ curam totius
cleſiæ Catholicæ ſuſcipiat, exerendo ad ejus
trocinium & defenſionem ſuam juriſdictio-
m Eccleſiaſticam.
8. Et cum Excommunicatio cenſeatur actus
productio poteſtatis Eccleſiaſticæ; & illa
ferat diminutionem capitis, adeoque exau-
orationem muneris; non video quî Rex aut
nperator abnuat ſubire aut excommunica-
tionem

tionem aut depositionem. Atque quemadmodum hæcce octo corollaria non solum congruenter, sed & necessariò Papam constituunt, astruunt & stabiliunt in orbe Christiano, ita semel admissa hypothesis de potestate Ecclesiastica, tam necessario contextu infert, imo demonstrat veritatem illorum corollariorum, quàm, primo geometrico theoremate dato, danda sunt reliqua.

Jam, ut per detectionem illorum moliminum & fraudum evertitur & dejicitur moles Baroniana; sic per imaginem quam tanquam in brevi tabella exhibeo veteris Ecclesiæ & regiminis Ecclesiastici retenti à Christianis per prima secula æræ Christianæ, mihi paro, etiam nulla facta mentione Papæ, clavem, machinam & malleum, quibus totum Baronium, ejus dolos aperiam, reseram, & dejiciam totam fabricam Baronii.

1. Ante omnia reputandum est, de jure esse Divino naturali, imò positivo, ut qui colunt Deum in varios coetus abeant, sacra seorsim sibi faciant & ordinent.

2. Adeoque unumquemque coetum, seu Judæorum seu Christianorum, qui in unum locum ad colendum Deum coeunt semper habuisse sui potestatem & modum ordinandi cultum & disciplinam; potestatem, inquam, nullis præterquam principibus & rectoribus coetûs obnoxiam, nisi quando & quatenus, aut se summa potestate seculari interponente, aut mutuo consensu, plures coetus coiverunt in unum corpus Nationale.

. In republica Judæorum , præter illum
um nationalem cujus leges , jura & con-
itiones & potestas concedebant & conflue-
t in potestatem, jura, leges & constitutio-
regni & reipublicæ , ut corpus Ecclesiæ
aliud esset à corpore reipublicæ , semper
itisse etiam Divina constitutione coetus seu
vocationes in unaquaque vicinia , colen-
Deo & precibus dicatas & destinatas, die-
Sabbati , (quæ Synagogæ dicebantur,)
lo nationali fœdere coagmentatas & colli-
as , quandiu parebant Regibus Principibus
udicibus patriis, gentilibus & amicis , &
, seu Ecclesiæ , seu reipublicæ defensori-
: verùm sub Ethnico Magistratu illas Sy-
ogas novam induisse formam, quæ erat con-
lerationis opus ; per quam ipsæ Synagogæ
æ sunt coetus tam Ecclesiastici quam Poli-
, dicatique , tam colendo Deo quàm li-
is forensibus dirimendis.

.. Cum post Christi ascensum ad cælos
ni Christiani essent Judæi, factum est ut hi
arent coetus suos ad modum Synagoga-
; in eodem coetu colentes Deum & diri-
ites lites subortas inter Christianos; nisi
d non constat Synagogas quæ nomen Chri-
dederant in unum corpus concessisse &
uisse.

.Quin contrà constat sub primâ Centuria &
ceps per 300. annos unamquamque Ec-
am suas res seorsim ordinasse ; atque, ut
ies pares erant authoritate , ita ejus Pa-
es ἰσοτίμους fuisse , & æquales per omnia,
nullâ

nullâ πρημασίᾳ sed tantum προεδρείᾳ locum habente.

6. Cum circa initia, promiscuæ essent appellationes Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, ut omnes ex æquo essent Pastores Evangelici & verbi Divini dispensatores, non solum tempore Apostolorum, sed & diu post Apostolos rebus humanis exemptos, accidit circa exitum primi seculi, cum unaquæque Ecclesia haberet suum Presbyterium, ut primus Presbyterorum diceretur Episcopus, qui imprimis vacabat Doctrinæ & precibus; cæteris juxta Pastoribus seu diaconis sepositis ad alios actus pastorales, quales erant erudire privatim Ethnicos & rudes, Sacramenta administrare, curam suscipere collectarum, pauperum & ægrorum, quibus sublevandis imprimis diaconi destinati erant.

7. Cum inter omnes Ecclesias maxima servaretur consensio fidei per literas Ecclesiasticas, formatas, Encyclicas, &c. attamen habebat unaquæque Ecclesia suos particulares ritus, ceremonias, disciplinam.

Atque insistendo hisce rationibus, consilium erat aggredi Baronium, ejusque strophas & paralogismos detegere, quibus retexendis non parum adjumenti tibi erit à Blondello nostro, opere de Primatu Papæ, ejusque Apologia pro Hieronymo, tum à nostris observationibus in Historiam Ecclesiasticam Godelli; ut nec parum tibi lucis accederet ex præsenti opella, cujus te lectorem & judicem appello, Vale.

Or-

XLI.

Ornatissimo & Clarissimo Viro,

DOMINO

HENRICO OLDENBURGIO,

Illustrissimæ Regiæ Societatis Secretario.

Cum mihi pené de omni statione, ordine, & natione virorum dispicerem lectores opellæ, quam publici juris facio; non debui te præterire, & non designare lectorem meum, virum egregié gnarum & intelligentem illarum rerum quas tracto, atque omni genere Literaturæ & virtutum Cultissimum & Ornatissimum; tum veré Germanum & natione & pectore, sincero, niveo & candidissimo; quem colo, amo, & facio maximi, cujus notitiâ & amore gaudeo & gratulor mihi, & cui quoque nostra probari impensé cupio & expeto; & cujus judicio, ut & reverendi soceri tui Johannis Duræi, si ubique staretur, statim concordia iniretur inter omnes Protestantes, qui à Papa ex æquo defecerunt, quò majoribus animis & conjunctioribus viribus & armis, viri boni operam conferant ad debellandum Papam & diruendum ejus imperium: ad quam concordiam, cum suam quoque Symbolam conferat Author dissertatio-

 nis,

nis, (cujus copiam mihi fecisti) de coalitione Christianismi, & de modo reconciliandi omnes Christianos per unius fidei vinculum, non possum quin laudem conatum magna in magnis voluisse; nec impossibile credam eam coalitionem inter Protestantes iniri posse per hosce modos quos tradit.

1. Ut Sacra Scriptura retineatur pro sola certa & infallibili regula ac norma credendorum & agendorum.

2. Ut in constructione Confessionis fidei, edantur & tradantur Articuli paucissimi, fundamentales, expressis Scripturæ verbis concepti, qui nec ad particularia & minuta, nec in liberiores excursus, longioresque sermones extendantur.

3. Ut per illos imprimis negotium & studium piè & sanctè vivendi commendetur: in summa, doceant potius bené vivere quàm disputare.

4. Ut in rebus mediis, ritibus, Ceremoniis, disciplinæ usu, observetur mutua toleratio, συγκατάβασις & accommodatio.

5. Ut nec hæ, nec ipsa fides imperentur, sed persuadeantur: tum à rectoribus Ecclesiarum, tum à Potestatibus secularibus.

Sed, ut hocce temperamentum probetur à Pontificiis, aut per illud unquam sperari possit, ut ineatur concordia inter Protestantes & Pontificios; non possum in animum inducere, quandiu.

1. Ecclesia Romana nomine tenus est Ecclesia, cùm reipsa sit Imperium terrenum; neque

que enim alia concordia initur cum Papa quàm se subjiciendo ejus imperio & judicio.

2. Et quandiu qui ad clavum ejus sedent non alio elatere quam terreno, aliisque utilitatibus, quam mundanis & terrenis commoventur:

3. Tum imperium Papale, longè latéque porrectum, suo robore pompâ divitiis & fulgore incutit & parit, cum cæcitatem, bardis stolidis, ignaris & sequacibus, ut est turba Romanensis plebis; tum amorem illis, qui sunt viri de clero & ejus commodis sunt deliniti; at terrorem & metum ei parere detrectantibus.

4. Tum quandiu alté sedebit mentibus hæc opinio, præter Scripturam Sacram dari aliam credendorum & agendorum regulam.

5. Et quandiu Reges qui Papæ vestigia lambunt, non exsolvuntur fraude illa Imperii Ecclesiastici, sub quo tectorio & involucro Papa obtinet imperium terrenum in imperio alieno juxtà terreno.

6. Nec spes est fore, ut sexcenti de clero Romano viri, ad navale Ecclesiæ plus, puta Gallicanæ, in opimis beneficiis & sacerdotiis possidentes, quam centum millia de eodem clero, accomodent aurem rationi concordiæ propositæ à Dussæo, (nam audio authori dissertationis id nominis esse) in suo Irenico, ut modo reconciliationis inter Protestantes & Pontificios.

7. Quid? quod, cum imperium habentibus facilius à summo ad ima & præcipitia

descendatur, quam in medio subsistitur: minori cum negotio, ut docet nostra nova *Ratio*, Papa è medio tollitur, quàm per temperamentum Dussæi ad medium compellitur.

Nec ejusmodi modus coalitionis, ut duo extrema ad medium compellantur, & ad aliquod temperamentum concurrant, quod utramque partem participet, sperandus est; nisi ubi vitium est in hoc & illo extremo, & expectari potest, ut hæc & illa pars aliquid de suo rigore remittant: qui modus tam est vitiosus, imo impossibilis inter Protestantes & Pontificios, quàm foret concordia inita inter doctrinam Augustini & Pelagii; Apostolorum & Nicolaitarum, utraque parte adducta ad aliquod medium inter duo extrema.

Sed videtur Dussæus non legisse nuperam & eruditam dissertationem reverendi Corasii Pastoris Ecclesiæ reformatæ quæ est Tonnesii; in qua dilucidissimé demonstrat unionem in fide & doctrina inter Reformatam & Pontificiam Ecclesiam esse impossibilem, hac & illa non abeunte à sua fide.

Nec illa fidei constructio accommodata ad intellectum partium, etiam varia & pugnantia sentientium per locutiones quibus nemo refragetur, caret suis incommodis, ut liquet ex arte adhibita, tum in colloquio Possiacensi ut Articulus de Eucharistia admitteretur ex æquo à Pontificiis qui Transubstantioatinem mordicus arripiunt, & à Protestantibus qui eam, ut horrendum dogma repudiant; tum in Concilio Tridentino; in quo id perpetuum fuit arcanum

canum & cautela Papæ legatorum, ut Canones de gratia, de peccato originali, de libero arbitrio, de Prædestinatione, de Justificatione, super quibus varia erant judicia in Ecclesia Romana, conciperentur eo sensu ut pariter damnarent & Lutheranos & Calvinianos: at ex æquo arriperentur ut sana dogmata à dissentientibus à se invicem Romanensibus: tam à Dominicanis, quam à Jesuitis, & hodie tam à Jansenistis, quàm à Molinistis. Eodem incommodo comparente in collatione facta Marpurgi anno 1529. inter Lutherum & Zuinglium, cum, soluto reconciliationis conventu, fieri nequeat, quin quisque ad suum ingenium redeat; atque in concionibus & tractatibus publici juris factis, Zuingliani non abeant à Lutheranis, Vega à Dominico à Soto, Richeriani à Jesuitis, Jansenistæ à Molinistis; dissensu partium, ad tempus sopito, postmodum erumpente, cum majori studio partium, pugnâ & irâ, quàm antea.

Quocirca, ut perpetua, non interrupta, & immota, nec lacessita pax & consensio permaneat per viam illam reconciliandi Pontificios cum Protestantibus, Lutheranos cum Calvinianis, propositam à Dussæo, per quam fidei professæ verba flectuntur ad sensum eorum qui sunt diversi judicii, ubi per longiorem sermonem ejus exegesim exhibent: ut, inquam, rationi à viro docto propositæ constet *Ratio*, & fida ac mansura concordia; atque ut obviam eatur huic incommodo quo Pasto-

res & populi abeunt ab illo generali intellectu fidei, plané expediret ad remedium ut Pastores non haberent alias conciones, imo ne preces, præter certis & statis formulis conceptas, nisi quando hortationes ad pietatem & vitam sanctam & castigatam adhibendæ sunt. Nam nisi hoc repagulo & septo Pastores cohibentur ab excurrendo in liberiores egressus, & extra intellectum fixum à reconciliatoribus, graviores suborirentur in Ecclesia dissensus, quàm si nunquam de concordia incundâ actum esset.

Unde non leve incommodum, quod, studium penitioris Theologiæ, libertas Prophetandi, omnes eruditæ & piæ exegeses & commentationes virorum Doctorum, Lutheri, Calvini, Martyris, Davenantii, &c. Tum Scripta Patrum, Historiæ Conciliorum per viam à Duffæo traditam exulabunt, aut in nullum usum erunt comparatæ.

Tum puriores coetus Christianorum, intelligentioresque juris Divini, propius accedentes ad sanctitatem Doctrinæ, vitæ, & disciplinæ Apostolicæ, quales hodie seorsim habentur plures in orbe Christiano; eliminandi erunt, cum per viam, à Duffæo propositam, ne cogitatione quidem, ejusmodi puriores coetus haberi possint.

Sané præstaret ut unus aut alter duntaxat, seorsim in mundo esset Christianus coetus, modò propé accederet Doctrinâ, vitâ & disciplinâ ad Apostolicam, toto inter hæc mundo Christiano, vel longé, vel tantillum ab Apostolico

ſtolico exemplari abeunte: quam ſi puriores illi coetus abſcedentes ab Apoſtolica puritate, temperamentum illud Duſſæi ſequerentur; per quod nulla unquam in mundo extaret Eccleſia pura, ſancta & Apoſtolica, aut non niſi corruptelis fœdata; & mirum ni per id revocaretur deplorandus ille ſtatus ſub Pontifice Romano per plura ſecula, cum ſub ſpecie uniformitatis in doctrina & diſciplina ubique, & fidei, ſolo Decalogo, Symbolo Apoſtolorum, & Dominica Oratione comprehenſæ, craſſa & atra ignorantia incubuit toti Europæ.

Sed & interdicentur omnia privata commercia domi & inter amicos, de Attributis Divinis, de Operibus Dei, de Providentia, de grandi illo myſterio pietatis, de quo loquitur St. Paulus, quatenus peccatum Adami dimanavit ad poſteros, & homo juſtificatur per fidem; denique omnis fidei inquiſitio, cognitio & ſermo de Divinis, quibus mens & oratio pariter inſurgunt, & pervenitur ad ulteriorem cognitionem & amorem Dei & proximi, interdicentur, ne tantillum humanus & privatus intellectus, recedat ab illo generali & ſuperficiario myſteriorum Divinorum intellectu, habendo & retinendo ab omnibus Chriſtianis ſecundum ſchema reconciliationis à Duſſæo propoſitum.

Accedit aliud incommodum, quòd cum cultus qui conſtat mentis affectu, & corporis poſitu ad venerationem compoſiti, proximè conſequatur particularem cujuſque intellectum Canonis à reconciliatoribus modo hoc generali

 con-

conditi; non poterunt hinc Pontificii in modum adorantium, illinc Protestantes in modum accumbentium, eodem in loco ejusdem Eucharistiæ esse participes sine mutuo dissensu, conflictu, contemptuque sui invicem. Par incommodum in Articulis de cultu Sanctorum, imaginum, Crucis, reliquiarum & virginis Mariæ concipiendis ad eum modum qui admittatur à Protestantibus & Pontificiis juxta, ubi ab his & illis in unum locum congregatis peculiaris cuique parti modus cultûs exhibendus est, qui non abeat nec à privato cujusque intellectu, nec à generali reconciliatorum: quocirca ut constet ratio rationi propositæ à Dussæo deberet insuper & ante omnia sufficere viam per quam omnes Christiani unum sentirent: neque enim fieri potest ut non sint in mundo tam varia ora & sermones quam sensa interna: & os non eloquatur quod mente & in pectoris recessu cogitatum est.

Sed nec illa συνκατάβασις inter Protestantes sectis & sententiis à se invicem dissitos speranda est iis in locis, ubi homines ad obsequium aut fidei aut disciplinæ, non persuadentur sed vi coguntur sub iisdem poenis quibus leges de furto, de peculatu, de Emphyteusi, & hæreditatibus herciscundis sanciuntur.

Nec inter causas collisionis inter Protestantes ponit, cujus meminit nostra nova *Ratio*, nempe imperium in regimine Ecclesiæ Potestatibus secularibus debitum, sed separatim retentum à viris Ecclesiasticis, per quod, non tantum Papa & clerus Romanus, sed & Pa-

stores

ſtores Evangelici defecerunt à Magiſtratibus, ædificando ſibi imperium in imperio dominorum ſuorum.

Porrò inter plura obelo configenda, apprimé arridet, quod ait pagina 169. fruſtra per authoritatem Conciliorum expectari conſenſionem Chriſtianorum in unam fidem, in quibus ſententiæ non ponderantur, ſed numerantur, nihilque tam eſt inæquale quam inæqualitas ipſa, in qua cum ſit impar prudentia, par omnium eſt jus; ut jam Vir ſapiens in magna Synodo; (ſicut in omni coetu plurimorum capitum potius magnus numerus quàm veritas dominatur.) diſcedens à majori numero ad veritatem uſurpet verba Claudii Imperatoris, *Se ſecundum eos ſentire qui vera propoſuiſſent*; innuens, rarò veritatem penes magnum numerum eſſe: nam ejus modi reponuntur in meo Jugulo Cauſæ, ut plura alia, in quibus diſſertationis Author & Ego ſumus ὁμόψηφοι: veluti in aſſignanda potiſſima cauſa tum fratrum à ſe invicem diſſidentium; tum Remanenſium obſtinaté ſua, utut futilia, amantium, ſtudio partium, ſuæ cuique utilitati; & Judicio, aut excæcato, aut præjudiciis correpto & abrepto. Nam in eam materiam aſſumo caput ſatis prolixum, quod eſt ſextum: ut jam tantò magis mihi arrideant mea quæ in alio video, eaque non occupata, nec ab illo nec à me: ſolenni more ut loquitur Plinius Epiſtola 21. libri 1. *ut quiſque inventioni ſuæ faveat, & quaſi fortiſſimum putet quum ab alio dictum eſt, quod ipſe prævidit.*

Quo-

Quocirca quanquam præſupponeretur bonam eſſe rationem à Duſſæo propoſitam, attamen tot incommodis iiſque inſuperabilibus urgetur, ut de ea cenſendum eſſet quod de Cyropædia Xenophontis, Principe Balſaci & temperamento ad pondus apud medicos, aut de exemplari ad quod collimes, nunquam aſſequaris: quod de nova noſtra *Ratione* nemo dixerit, quæ ſemel intellecta à Poteſtatibus ſecularibus, ſtatim probaretur, & probata illico ad effectum & exitum perduceretur, contentione tantò acriori, quòd ipſa ſua cuique utilitas, tum ſtudium rerum mundanarum, ut eſt amor imperii, ad rem exequendam viriliter impellant; cum inter hæc Reges & mundi Monarchæ, promovendæ viæ ab authore diſſertationis traditæ nunquam acriter inſtabunt, niſi prius, valedicendo mundo & ejus voluptatibus, ſeriò animum ad Divina & cæleſtia applicent; quod tamen nunquam continget niſi in Republica Platonis.

Hæc ſunt ſenſa mea, cum de Univerſitate, tum de partibus diſſertationis, quam commodatò à te accepi, iniquiora fateor quam in epiſtola ad generoſum virum, Domino Guillelmum Areskinum ſolo auditu de viro ejuſque libro credideram, aut libenter voluiſſem, quem noveram virum eſſe reverendum quia ſacri ordinis, & doctum; ſed quem tranſverſum egit juſta ira in Amyraldum, à quo injuria altùm deſcendente læſus fuerat, at non erant perinde iniqua, quam nunc ſunt judicia quorundam amico-

rum,

rum, qui opus viri damnant, ut impium & vacui capitis incoeptum & molimen, in quod voluissent me intensioribus animis insurgere: at mihi satius fuit insectari, non hominem, sed hominis vitia, animo tanto minus hostili, quod noveram eum modum ab eo traditum conciliandi inter se Protestantes dissidentes, occupatum fuisse, & etiamnum tentari à Clarissimo tuo Socero, ut seorsim sua cuique sectæ esset sententia, à quâ cum quisque internis sensibus veram aut comperisset aut crederet, non deflecteret in privato recessu; sed palam omnes conspirarent in concordiam fundamentalis doctrinæ, in cæteris in quibus variare sententiis dispalesceret, mutuò se tolerarent: quanquam quo magis rem cum animo meo voluto (& mirum ni in eandem sententiam pedibus eat reverendus tuus socer) quod spectat coalitionem Protestantium & Pontificiorum, atque horum & illorum, cum cæteris Christianis in oriente & alibi locorum in unam sectam per viam quam proponit Dussæus, planè videtur mihi & absurda & impossibilis, nec apud æquiores Pontificios & Protestantes unquam habitura, aut fidem aut approbationem.

Porrò Dussæum (imo nec Duræum) esse primum authorem ineundæ concordiæ qualem proponit, testantur viæ consimiles in veteri Ecclesia, aut tentatæ aut initæ inter Christianos dissentientes, à Synodis, quarum nonnullæ sic attemperarunt suas confessiones, ut eis subscriberent, cum Catholici & Ariani, tum

tum Donatistæ & orthodoxi. In Nicæna I. & Constantinopolitana I. Synodo, Patres statuerunt, unum Deum, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, tum ita distinctos inter se ut ὁμέσιοι essent, at non laborarunt in explicando discrimine inter Essentiam & Hypostasim. Sic Episcopi Ephesi & Chalcedone convenerunt in definiendo unam esse personam Christi, duasque Naturas: at non existimarunt modum ulterius indagandum. Eandem viam tentavit Duræus inire, & ait, placuisse Pastoribus celebrioris notæ in Gallia: verba ejus sunt Dissertatione de pace inter Evangelicos procuranda, *itaque capita omnia controversa certâ quâdam formulâ concipiantur, quæ utrisque satisfaciat, ex ipsis sacræ Scripturæ verbis (si fieri possit) contexta: nemo à fratre quicquam præterea exigat.* Certé, Davenantius adhortatione ad pacem, & de pace Ecclesiæ, & Usserius concione coram Rege pag. 28. imó & Hallus Episcopus opellâ quæ dicitur *Pacificus* non longé abeunt à Duræo, ut non longé Duræus à Dullæo, cum affirmant, paucissimis capitibus Summam Christianæ fidei, concipi posse & comprehendi; quæ ab omnibus Christianis recipiatur, & cui nihil desit necessariorum ad salutem, si accedat studium sanctitatis. Davenantius ait, *Qui credit omnia quæ Symbolo comprehensa habemus, vitamque Christi præceptis conformem agere conatur, ex albo Christianorum non est expungendus, neque à communione cum aliis Christianæ cujuscunque Ecclesiæ membris abigendus.* Pro pace pag. 10. 11.

Jos.

Jos. Stegmannus *Dodecad, de Eccl. viat. præfat.* volebat totum Christianismum verti circa hos duos cardines, *veram fidem in Christi meritis, & vitæ sanctitatem.*

Sed quod diximus de concordia tentata superiori seculo inter Lutherum, Zuinglium, & Oecolampadium, annitente imprimis & se interponente Principe Hassiæ, tum de Concilio Tridentino, id accurante ut dissidentes Romanenses in unam sententiam adducerentur, docet Dussæum nihil induxisse quod sua novitate offendere debeat bonos viros: sané ea spes concordiæ inter Lutheranos & Zuinglianos revivixit anno 1642. per authores Reconciliationis (nam ejusmodi vocat Chrysostomus καταλλαγῆς αἰτίας;) facto Francofurdiæ in hanc rem concordiæ Instrumento.

Sed dices, Si nulla est via reconciliationis Pontificiorum cum Protestantibus, dum stat his & illis sententia non discedere à modo sui cultûs & fide sua, quinam foret tandem coalitionis modus, quod temperamentum quò concordibus animis palam vivant omnes Protestantes, etiam singuli retinentes, suam fidem suumque cultum, seu hujus & illius modum sub Christiano Magistratu, sed non Pontificio? hæcce meo judicio foret ratio expeditior ineunda, tum à Magistratu ipso, tum à populis.

1. Ut Magistratus alté imbiberet, Fidem non imperari, nec ad eam quemquam cogi debere, nec quemquam puniendum esse ob errorem intellectûs, sed voluntatis, arctè tenendo

nendo Patrum dicta, aurea sané & uncialibus literis incidenda, ut Tertulliani ad Scapulam, *Humani juris est & naturalis Potestatis unicuique quod putaverit colere; sed nec religionis est, cogere religionem, quæ suscipi debet sponte non vi.* Lactantii lib. 5. Inst. cap. 19. *Non opus est vi & injuriâ, quia religio cogi non potest. Verbis potius quam verberibus res agenda est, ut sit voluntas.* Greg. lib. lib. 2. Eph. 52. *Nova & inaudita ista est prædicatio quæ verberibus exigit fidem.* Bernard *Suadenda fides, non imponenda.* Hoc modo, docendo potius quam jubendo, monendo quàm minando, cum Magistratus reformatus se gerere debeat erga subditos, seu Pontificios seu alios ab eo abeuntes in religionis negotio, tantò magis confirmari debet in ea lenitate, si ei constat eam viam mitiorem placuisse cordatioribus Pontificiis de gente laica & togata (at non de clero viris semper iniquioribus) erga illos quos vocant hæreticos: Cujus rei luculentum habet exemplium Thuanus anno 1555. lib. 11. Historiarum in Senatu Parisiensi: nam cum Rex Henricus II. incitatus à clero suo urgeret istius curiæ senatores ut edictum asperius in Lutheranos confirmarent, & in suos commentarios referrent, Thuanus ait in hæc verba senatum ad Regem rescripsisse, *Cum minimé æquum censeret, senatus suarum partium esse duxit, ut ad te rationibus referretur, quibus adductus fuit quominus ei edicto suscriberet, suppliciis id tantum effectum est ut crimen potius detestabile esset, quàm errores ipsi corrigerentur: æquum videri*

videri ut potius vestigiis veteris Ecclesiæ insistatur, quæ non ferro & flammis in religione constituenda ac propaganda, sed puriore doctrinâ, & honestis vitæ antistitum exemplis rem confecit, pié vivant & sinceré verbum Dei doceant: hac ratione pravarum de religione opinionum luxuries coerceatur. Hæc remedia si spernantur, nullæ leges, nulla edicta huic malo curando satis erunt. Quis non lugeat hîc vicem, non solum orbis Christiani ut Pontificii, sed & Reformati, quorum gens sacra (cujus esset imprimis verbo potius quam gladio errantes in fide aut reducere aut coercere) semper fuit in modo & temperamento quód adhiberi debet ut obviam hæresibus & hæreticis serpentibus eatur, ad consilia aspera, crudelia & immania pronior, quàm natio laica de quacunque Christianorum secta, imo quam Ethnica. Sané tertio seculo Idacius & Ithacius, teste Sulpicio severo, suâ orthodoxiâ feroces, primi introduxerunt in orbem Christianum legem (saltem authores ferendæ fuerunt,) de puniendis hæreticis gladio aut flammis, ægré Imperatore Ethnico Maximo patiente hanc legem ferri, nec ad id adacto nisi impulsu & clamoribus orthodoxorum Episcoporum. Quorum exemplum dehinc secutus clerus seu Pontificius seu reformatus semper fuit asperior gente laicâ in constituendis poenis in hæreticos: quanquam non negaverim, omni tempore extitisse pios & sanctos viros de clero (sed longé numero impares) in quibus fuit St. Augustinus & Beatus Martinus, qui huic

diræ

diræ legi intercesserunt, censueruntque in neminem capitali supplicio animadvertendum esse, propter pravum judicium, imo nec in quemquam hæreticum durius statuendum, sed relinquendum Dei judicio, juxta dictum Ethnicorum *Deorum injurias Diis curæ esse:* & Jurisconsulti, *contemptam religionem satis Deum ultorem habere*: Nam semper extitisse minorem numerum piorum & de clero & de plebe, quorum Consilia essent & saniora & æquiora, testatur Severus lib. 2. in fine, *Nunc cum maximè discordiis Episcoporum turbari aut misceri omnia cernerentur, cunctaque per eos odio, aut gratia, metu, inconstantiâ, invidiâ, factione, libidine, avaritiâ, arrogantiâ, desidia essent depravata; postremò plures adversum paucos benè consulentes, insanis consiliis & pertinacibus studiis certabant: inter hæc plebs Dei & optimus quisque probro, aut ludibrio habebatur.* Redeo in viam.

2. Verùm si quid expedire censet Magistratus, constitui circa aut heterodoxa aut diversa sentientes, ut solius est de quacunque re legem ferre aut statuere, id faciat quadrifariam; *conniventiâ, toleratione, imperio,* & *invitatione.*

1. Conniventiâ, non inquirendo in Judæos Pontificios, Tremulos, &c.

2. Toleratione; ferendo publicè & privatim in suo territorio cultum Lutheranorum, Calvinianorum, Arminianorum, & aliorum qui non tam à fide quam à modo cultûs abeunt quem approbat, tum neminem fidum, aut

Regi

Regi aut ſupremo Magiſtratui capite diminuendo, aut Religionis causâ libertate civicâ & ſubditorum exuendo.

3. Imperio: imperando, ut in Anglia, & fidem & modum cultûs, ſed illis duntaxat, qui in eam fidem, eumque modum cultûs, quem approbat, nomen dederunt: tum eorum Paſtoribus ſeu Epiſcopis ſeu aliis (non utique cæterarum ſectarum Paſtoribus, niſi quatenus expedire viſum fuerit) aſſignando & attribuendo, Epiſcopatus, Sacerdotia, & Eccleſiaſticos reditus.

4. Invitatione: nempe invitando Diſſentientes eorumque Paſtores, præmiis, ſacerdotiis & Epiſcopatibus, omneſque in genere exemplo ſanctitatis vitæ & doctrinæ illorum qui eos poſſident ad amplectendum, tum fidem, tum eum modum cultûs, quem aut approbat aut imperat.

Quod ſi Pontificii Magiſtratus ad id quadruplex temperamentum coalitionis adduci poſſent, meo judicio ratione longè expeditiori, quàm à Duſſæo propoſita conſtaret pax, fides, religio, Regibus, Magiſtratibus & populis.

3. At quod ſpectat modum coalitionis adhibendum ab ipſis populis meliori loco res eſſent ubique inter Chriſtianos ſi dictum Ruperti Meldenii cordi eſſet, *Paræneſ. fol. F. 2. verbo dicam, Si nos ſervaremus in neceſſariis unitatem, in non neceſſariis libertatem; in utriſque charitatem, optimo certè loco eſſent res noſtræ:* aut ſi arrideret unitas, (an potius unio?) quam

Hilarius commendat libro contra Auxentium. *Speciosum quidem nomen pacis & pulchra opinio Unitatis; sed quis ambigat eam solam Ecclesiæ atque Evangeliorum unitatem pacem esse quæ Christi est.*

Sed meo judicio duo imprimis (culpâ potissimum gentis Sacræ etiam purioris reformationis) obstiterunt reformationi ulterius, aut non provectæ, aut non promovendæ, atque paci & charitati firmæ & immotæ constituendæ & servandæ inter Ecclesias, licet in summa rei orthodoxas, attamen communione à se invicem abeuntes: nempe alté animis pastorum sedentes duæ opiniones: una de potestate sua Ecclesiastica & Foro externo habendo seorsim à curiis Potestatum secularium: altera de non tolerandis, imo affligendis & vexandis, exilio, mulcta, carcere, non tam fide quàm modo cultûs & disciplinæ ratione à se discrepantes, & de necessitate uniformitatis ut loquuntur, in eodem territorio retinendæ.

Circa profitentes plané impia dogmata & pravam religionem (præter eam quæ est Pontificiorum,) cui tamen subrepit error, potius intellectús quam voluntatis, (Soli Deo notæ,) saltem hoc temperamentum adhibendum est, legis latæ à tribus Imperatoribus, Gratiano, Valentiniano, & Theodosio *codice Theod. l. omnis de hæret. Ut ejusmodi hæretico imponatur necessitas, ut sibi tantum nocitura sentiat, aliis obfutura non pandat.*

At quem modum tolerationis tenere debeat

Ma-

Magiſtratus reformatus erga Pontificios ſubditos, non facile eſt ſtatuere, quandiu alium Dominum, nempe Papam agnoſcunt extra ſui Domini territorium, & ſtat ſententia alté animis Pontificiorum ſedens, Fidem non eſſe ſervandam hæreticis quibus accenſent Proteſtantes: nam ejuſmodi non tolerare, non tam eſſet dictamen religionis, quàm axioma Politicum & Imperii firmamentum & ſecuritas. Verùm cum his quoque author eſſem agi per legem trium Imperatorum, ſi modò cuiquam aut id axiomatis, aut charitas in Papam non obſtet quominus pax regni ſit immotior: nam nolim in quemquam graviùs ſtatui religionis nomine, vel per exilium, aut capitis diminutionem, niſi forſan Jeſuita foret.

Cæterum de hiſce penes me ſunt rationes plurimæ pacis ineundæ in orbe Chriſtiano, ſi vera & profutura pandere & palam facere, tutum eſſet; nec obſtarent ubique ſua cuique utilitas & præjudicium, peſſima ut ait Tacitus veritatis venena, tum te diutius morarer, Vale.

XLII.

Nobilissimo & Illustrissimo Viro, DOMINO, DOMINO, MARCHIONI DE RUVIGNI, &c.

AGmen Gentilium meorum, quibus nostra impensè probari cupio, ducat Vir meritissimæ famæ & omni laude dignissimus, celebrisque & celebrandus à genere, ingenio, rerum usu & militarium & forensium, quibus defungendis semper fuisti terrarum Dominis ad quos justi, imprimis tuo, acceptissimus; tum, ab eruditione in omni genere literaturæ, pietate in Deum, amore in Protestantium partes, Religionem & causam, & præcipua charitate in Ecclesias in Gallia reformatas, & quæ te eo nomine, ut suas delicias, suosque oculos diligunt; imo amant, atque ut suum Mæcenatem, defensorem, oratorem, & interpretem suorum, seu desideriorum, seu gravaminum apud Potentissimum & Christianissimum Regem, suspiciunt, colunt, venerantur: & cujus judicio, suo calculo comprobante totam operis nostri rationem, plus gauderem, gloriarer & triumpharem, quam homo privatæ sortis factus inopinatò Regii fastigii & Dominii compos: quodque vel solitarium opponerem toto agmini virorum de ordine Ecclesiastico, qui novam nostram rationem, aut odiosé exagitaret, aut damnaret; quocirca cum

habeam

habeam omnes de ſtatione laicorum qui à Papa abiverunt, viros præcipuæ dignationis, Conſulares, ampliſſimis legationibus, pulcherrimiſque muneribus defunctos, qui ad noſtra reſpicere dignantur, approbatores & laudatores illius ſubſtructionis & fundamenti quibus nova noſtra Ratio *innititur: cumque huic globo virorum illuſtrium de laico ordine ſe adjungant plures de ſacro (aliâs in re quam tracto præjudiciis abrepto & excæcato) in quibus eſt in Gallia Vir Clariſſimus Johannes Vauquelinus: cujus authoritate, cum & alii ejuſdem Sacri ordinis, aut commoverentur, aut perſuaderentur; & in his eſſet ejus Symmyſta Falcenburgius unicè mihi reverendus, memini hujus olim verba fuiſſe per literas ad me*, Tantum abeſt ut tua ſententia ſubvertat aut percellat noſtrarum Eccleſiarum in Gallia diſciplinam, ut contra ſtet ſententia, tuas hypotheſes naturalia & certa fundamenta eſſe quæ tanquam in firmo & ſolido ſtabiliant & collocent illam diſciplinam.

Cum inquam, hæc ita ſint, Vir illuſtris, hâc me jucundâ opinione ſuſtento, futurum ut quæ placuerunt toti nationi laicorum, nec diſplicuerunt omnibus de gente Sacra, à te probentur & arripiantur: atque per te ad alios diffundatur ratio finem tandem imponendi controverſiis circa religionem, & liberandi exolvendique labore in orbem acto noſtros Doctores, qui jam integrum ſeculum emenſi ſunt viam, veſtigiis iiſdem, millies & millies rurſum, prorſum, verſis & tritis, ſine ulla aut ſpecie, aut ſpe progreſſûs.

Age, Vir Magne, si non exemplo tuo, saltem animo, eloquio & tua authoritate cohortare viros præstantissimos Roccas, Claudios & Boscos instando, suadendo, orando, usque adeo donec perpuleris ad Papam aggrediendum & invadendum per eum Jugulum quem designo, viamque insistendam, multò breviorem, tutiorem & faciliorem ad adducendos Pontificios ad Protestantium religionem, quàm quæ à Dussæo proponitur. Denique voti compotem me redde; in qua spe, omine, & voto, desino, Vale.

Illustri

XLIII.

Illustri Viro,
DOMINO
JOHANNI COLADONIO,
Equiti Aurato & Archiatro Regio.

Tibi duplici nomine (vir illustris) debetur locus inter eos, quos deposco judices & lectores opellæ meæ: tum quia hîc in Anglia locum Principem tenes inter Archiatros Serenissimi & Potentissimi Regis: tum quod sis unus de illustribus Gentilibus meis, quibus nostra maximé probari velim: Neque enim eâ gratiâ te compello, ut in tuas laudes excurram & dicam de tua peritia in re Medica, in qua totum Mayernium, avunvulum Tuum, virum longé Illustrem, & seculi nostri Decus & Æsculapium refers: tum de tuis maximis in me meritis, quibus sæpe decumbenti, & in lubricis locis porrexisti manum; at semper conspectu tuo recreavisti & favore ac amore complexus es: quibusque me totum tibi devinxisti: certé illis cumulum addidisti, cum existimavisti nostram necessitudinem cum præstantissimo filio tuo primo genito Theodoro Coladonio posse eum firmare in proposito assurgendi ad ulteriorem eruditionem: in cujus stadio sic sua sponte currit ut potius egeat sufflamine quàm stimulo; cujus ingenium adeo est acre, & judicium subactum; indoles proba, vivida & erecta; elo-

quentia & oratio ſeu ore ſeu ſcripto, naturali pulchritudine exſurgens, & maximis oratoribus par; ut etiam ſine literarum adjumento eminere poſſet. Quocirca de tanto filio tibi gratulore; ut mihi tali amico gaudeo.

Nobi-

XLIV.

Nobilissimo & Amplissimo Viro,

DOMINO

VALENTINO CONRARDO,

Regis Christianissimi Consiliario & Secretario.

M*Aximo, & viro, & nostræ Galliæ, & inibi Illustris Academiæ, & quod caput est Ecclesiarum reformatarum ornamento, debetur imprimis judicium de nostra opella, magna & nova conante: viro sané maximo, in quo omnia summa nemo bonus non amet, imo non revereatur, (certé non desideret,) Sapientiam, prudentiam, & eloquentiam, sinceram pietatem, tum æquabilem vitæ irreprehensibilis tenorem; videatque perfectissimum exemplar, moribus, ore & habitu, ad exprimendam imaginem honesti; ejusque quo nostra ætas non habet antiquæ severitatis & decoræ cunctationis retinentiorem: cujus virtus, nisi obstantia modestiæ perrumperet, mirùm, si optio esset, lateret in seducto & obscuro. Profectò hæc tua modestia hactenus obstitit, accedente purioris religionis professione, cur, aut in Aula, aut in Foro civili, principem locum non teneres: ut jam spes sit futurum, ut qui recusat*

cusat se in lucem proferre aut propria monumenta seculo imputare & consecrare, non dedignetur ad aliena respicere, eaque suæ censuræ subjicere, vel probando, quod rectum est, vel suo obelo configendo, sicubi erratum est.

* *

Cla-

XLV.

Clarissimo, Amplissimo & Nobilissimo
Viro,

DOMINO

HENRICO JUSTELLO,

Regis Christianissimi Consiliario, & Secretario.

QUanquam nullâ ingenii, doctrinæve specie, imo ne officiorum, mutuum benevolentiæ redhostimentum promereri possim apud te (Vir magne;) observantiâ tamen & omni cultu erga te & tuas virtutes, do operam ut dignus censear aliquâ tua commendatione, ut reputes me virtutibus eatenus abundare quia amo tuas: Te imprimis, quem efflictim depereo; & cujus diligo ingenii elegantiam absolutissimam, humanitatemque, quâ te ad longé Te eruditione inferiores, ut me, demittis, quem tuo amore complecteris, labantem erigis, ignarum instruis, errantem reducis in viam &, afflictum solaris: quo sané tuo affectu imprimis inpræsens opus est mihi, dum legis hancce meam *Rationem*: quæ sané ornatior prodiisset, te duce, aut inspectore: quocirca æquum est, si quid in eo opere probas, aut mihi, aut aliis, plus indulgeas amori quàm judicio. Cujus tamen hanc fiduciam habeo fore ut arrideat tibi quod maximé

maximé urgeo, cum toto meo *jugulo causæ*; tum apud reverendum Ludovicum le Blanc; nempe ad summam rei & litis quæ nobis est cum Pontificiis, & ad Reges & populos abducendos à Romana Religione: breviter ad Papam, ejus imperium, & unà Ecclesiam Romanam & religionem evertendam, parum proficere viam & rationem (jam seculum integrum tentatam & usurpatam, & quæ etiamnum insistitur,) per quam vel luce meridiana clarius demonstraretur & probaretur Regibus & populis, imo ab illis agnosceretur & intelligeretur futilitas, aut omnium, aut unius duntaxat dogmatis Romanensis, ut est Transubstantio, Purgatorium, Primatus Petri, Cultus imagnum & sanctorum; quorum; vel singulorum, vel omnium fides dubia est, etiam apud celebriores quosque de Romanensibus Doctoribus: inter hæc nihilominus inviolatis & immotis, Papâ, ejus imperio, Ecclesia & Religione Romana: nec per eam viam posse, vel uni dogmati ut est Transubstantiatio fidem detrahi, uno seculo, apud unum hominem per tot codices, in hanc materiam assumptos & ultro citroque editos, hinc à Rocca & Claudio, illinc ab Arnaldo & Jesuita Noüet, ut lectione horum major sit, aut authoritas Transubstantiationis apud Protestantes, aut minor apud Pontificios: ac proinde laborem esse eorum, qui arenæ semina mandant, Romam aggredi, non solum per confutationem, putà Transubstantiationis, quod sané strenue factum est, licet majori

jori cum ingenio & eruditione quam fructu, ab Albertino, Blondello, Rocca, & Claudio, sed & per semel cognitam & compertam à Regibus & clero futilitatem aut istius, aut cujusquam dogmatis Romanensis: intacto inter hæc illo imperii Papalis arcano: quo uno latente mundi Monarchas qui Papæ vestigia lambunt; nec à Pontificiis, imo nec à Protestantibus attrectato (ut nunquam sine querela ægra tanguntur) stat, stabitque Papa ejusque imperium, & unà Romana & religio & Ecclesia: at semel detecto, compertoque illo arcano, sacris illis capitibus, totus hic complexus Papæ, Ecclesiæ & religionis Romanæ statim ruere & concidere debet: eventu tantò certiori, quod ratio rem ad effectum perducendi, futura sit Regibus acceptissima, nec ingrata, ut fuit Pauli ad Felicem sermo, qui non fuit de imperio parando, sed de vita castigata & judicio futuro; tum non sit opus multorum annorum multò minus seculorum, quale est molimen abducendi populos à quoquam dogmate Romanensi, ut est Transsubstantiatio, sed aliquot horarum. Atque id unum arcanum, quod velim à nostris instillari & inculcari Regibus, posthabito tædioso, nec unquam profuturo labore confutandi sigillatim cæteras Romanenses doctrinas, pronunciatum est, unâ eaque brevissimâ periodo comprehensum.

Cum Papa reipsâ possideat Imperium terrenum, in imperio, & in imperium Regum, qui in ejus verba juraverunt; & ibi exerceat jura

 Re-

Regalia, ut sunt Dominorum in subditos, ligas, fideles, & clientes, sub fuco Potestatis Ecclesiasticæ; plané confici & sequi, Illos Reges precariò duntaxat regnare, saltem habere Papam socium & consortem imperii.

Profectò hoc unum pronunciatum, inculcatum Regibus & mundi Dynastis qui Papam adorant; plus valeret ad rei summam, & plus momenti haberet ad evertendum Papam, ejus imperium, & eâdem ruinâ involvendam, Religionem & Ecclesiam Romanam, quam foret probata illis & comperta vesania, vel unius duntaxat Romanensis dogmatis, ut est Transubstantiatio, Purgatorium, Primatus Petri, vel totius systematis Romanensis, de quibus Reges, de quacunque religione & sacro dogmate securi, stant arbitrio confessarii sui. Nec est quod Protestantium Antistites deterreantur à detectione, illius arcani Papalis imperii, quod per latus Papæ vulneretur Potestas Ecclesiastica, quam prava Religione forsan mallent intactam, quam ruere Papam, si unâ ruinâ hic & Potestas Ecclesiastica caderent, namque eos scire velim posse Papam cadere absque ruina Potestatis Ecclesiasticæ: nec si tam res est bona sancta & vera quam ipsa pietas, & Doctrina de salute per solum Christum parta & paranda, obstare quominus Papa illam Potestatem perinde in obtentum sumat, atque vulgò scelera tantò facilius patrantur, ubi fuco pietatis obducuntur.

Porro, quanquam nemini de gente laica

me

melius nota eſt hæc veritas quam tibi,nec quiſquam magis idoneus extat, qui illam ornare, limare, & prodere poſſit; attamen non dubito affirmare, plus virium habituram, ſi tuis conſiliis & præceptis imbuti præſtantiſſimi viri de gente ſacra, Mareſii, Roccæ, Blanci, Gaillardi, Claudii, Mori, Boſci, Monachi, Langlæi, Dallæi, illam calamo & ſcripto publici juris facto aſſererent & aſtruerent, & in debellando Papa per iſtius veritatis detectionem, quâ ſolâ, tota noſtra nova Ratio conſtat, operam ſociarent cum apprimé reverendo viro Johanne Vauquelino, qui non ſolum per omnia noſter eſt, & ὁμόψηφος in hac veritate vindicanda, ſed & primus virorum de ordine ſacro in Gallia illam palam agnovit & ſuis ſymmyſtis commendavit.

Age ergo, Vir Magne, ingere animis virorum Doctorum, momentum, imo facilitatem exequendæ noſtræ novæ *Rationis* non propemodum unâ, ſed revera unâ periodo concluſæ, ut habet epiſtola ad meum Vauquelinum; & cui illa, quam tibi nunc exhibeo ſuccenturiari poteſt, ſi altera longior & operoſior videtur, quàm ut, aut uno ſpiritûs ductu evolvatur, aut ad effectum perducatur; cum par & idem felix ſucceſſus expectandus ſit ex hac & illa, intellecta, probata & arrepta: Nam præſtò mihi eſt ad manum ratio, aut potius novæ noſtræ rationis epitome: quam niſi viri ſancti refugerent, & offenderentur ad ejus tactum, commendarem non tam tibi quàm illis, eamque non unâ

unâ periodo, sed unâ lineâ comprehensam, unde (si semel juxta intelligeretur, probaretur & ad effectum à nostris adduceretur) perinde Papa rueret, & unà totus complexus & systema Ecclesiæ, Religionis, & totius Romanensis & missatici apparatûs, conciderent. Sed quid moror illam tibi edere? En tibi ergo!

Ratione expeditissimâ Papa rueret, per ruinam Potestatis Ecclesiasticæ.

Quæ pericope perinde argutè & breviter Gallicè exprimitur.

Le plus court chemin pour defaire le Pape est de se defaire delà Jurisdiction Ecclesiastique.

Brevissimé. *Ostes la puissance Ecclesiastique, & vous ostes le Pape.*

Nam quanquam forsan Potestas Ecclesiastica, non invexit necessariò, certum est congruenter intulisse Papam in mundum, ut doceo Epistolâ ad Clarissimum Virum Isaacum Vossium: Et multò certius est, non solum scalam fuisse ascensûs ad Papatum, sed & illâ ablatâ ne horam unam consistere posse Papam in orbe Christiano, adeoque longé expeditissimam illam esse rationem quæ uno nisu Papam radicitus extirpat, hoc est, illam radicem, seu Potestatem Ecclesiasticam, evellit funditùs unde (si quæ ejus vel minimæ fibræ aut tenuiores villi non eximerentur) aut Papa, aut Potestas Papali analoga semper pullularet, aut erumperet. Sed quia nondum sunt præparati animi nostrorum Pastorum, ut hanc

hanc medicinam, aut ſumant aut concoquant, quæ uno pharmaco & Papæ, &, ſuæ tantopere amatæ Helenæ, (Poteſtati Eccleſiaſticæ,) vitam eripit: facilé adducor ut illam retineant modò non repugnent *Rationi* noſtræ propoſitæ & exequendæ per illam viam quæ larvam illam Poteſtatis, ſi non tollit de mundo (cujus poſſit aliquis eſſe uſus in orbe reformato) ſaltem eripit Papæ; docendo ſub hoc fuco Papam ſuum imperium in Reges & nationes & ædificâſſe & etiamnum retinere.

Nam licet, quod ſtet Papa & conciliet authoritatem Eccleſiæ & Religioni Romanæ, id debeat ſoli poſſeſſioni longæ imperii terreni in Reges & populos, pompâ, divitiis & robore magnifico, non verò authoritati cujuſquam dogmatis: certé non Primatûs Petri quem oculatiores cenſent infirmum eſſe tibicinem ſupportandæ Monarchiæ Papali; & quem Sorboniſtæ ſubruunt in ſua cenſura contra Vernantium: non infallibilitatis, quam Rex Chriſtianiſſimus & ſenatus Pariſienſis ſugillant ut chimericum figmentum & vacui capitis deliramentum: non decretalium, quarum fraudes & impoſturam ipſi Romanenſes agnoſcunt: licèt inquam, ſola poſſeſſione res & imperium Papæ ſtent, attamen certum eſt quod Papa brevi illa poſſeſſione moveretur, ſi duplici illa fraude atque errore exolverentur, tum Rex, tum primores regni de gente laica, qui quidem alté animis infixus eſt, non ſolum Regum & populorum qui adorant Papam, ſed & proh dolor! pene omnium Proteſtantium.

1. Uunum quodque territorium regi debere per duas jurisdictiones collaterales, quarum alteri (quam Ecclesiasticam vocant,) aut Papa aut Clerus præest, imperio, nulli præterquam Deo aut Christo reddendis rationibus obnoxio.

2. Inter hæc Reges retinere seorsim imperium (idque terrenum & civile) perinde ἀνυπεύθυνον, de cujus possessione nemini præterquam Deo, & gladio quo accinctus est beneficiario aut clientari, jure sit obstrictus, ut nec cuiquam obligatus, tanquam superiori, aliqua sacramenti præstatione: ut jam si recté ratio putatur, sola Potestas Ecclesiastica non solum πότιμον & acceptum reddit Imperium Papale terrarum Dominis & populis; sed &, ut ait Petrus Sarpius, est centrum quò omnes fraudes & technæ Papales concurrunt & tendunt, & quò Papa facum facit Regibus, hoc est instrumentis servitutis (ut loquitur Tacitus) αὐτοκρατείας, tum Ecclesiæ, religionis & sanctitatis: atque conciliat authoritatem futilibus quibusque Romanensibus doctrinis. Sed longiùs abripior.

Magni

XLVI.

Magni Patris, Magno Filio,
DOMINO
PETRO MOLINÆO,

S. S. Theologiæ Doctori, Canonico Cantuariensi, & Regio Sacellano.

CUm nemo extet in choro virorum illustrium, Doctorum & Amicorum, ad quos scribo, quibus præter debiti necessitudinem magis voluntariâ sponsione obstrictus sim, hoc est, plus debeam, aut debere me, adeoque placere novam nostram *Rationem* velim, quam tibi. Cumque tota nostra nova *Ratio* iisdem hypothesibus insistat, quibus nostra opella publici juris facta ante quinquennium ex occasione Cardinalis Chigi in Galliam adventantis, & quæ tum demum unâ liturâ emendata fuit ab illustri tuo Collega Merico Casaubono, cum visa est illi sapere Erastianismum; mihi maximé enitendum est, non quidem defendere aut damnare Erastum, sed dum tibi meam *Rationem* probare conor, tuæ cognitioni subjicere, atque exponere illas hypotheses quibus innititur, longé abire ab Erasti placitis.

Namque, cum in Ecclesia quavis, seu particulari, seu nationali, tum in omni Synodo, convocatione; imo extra Synodum, Pastores,

Episcopi & Præsules duo genera actuum proferant, quorum primum est functionis, alterum Jurisdictionis: Illud quidem quod est primum, exerunt quatenus Ecclesia est coetus Christianorum & fidelium: Et eatenus ipsi Pastores sunt Evangelici, & verbi prædicatione & administratione Sacramentorum, pascunt populum;& ex nolente volentem præstant; at secundum actuum genus exerunt quatenus sunt præditi jurisdictione & ἐξουσίᾳ, jure seu Divino, seu humano, habita & retenta, etiam in nolentes, quos compellant cogantque vel ad obsequium; vel ad pœnam,si parere detrectant.

Per primum genus actuum, quod est functionis, canones, leges & constitutiones Ecclesiasticæ, imò censuræ, non ulterius sunt validæ, quàm quatenus sunt bonæ, veræ, justæ, aut tales esse censentur ab illis,quibus hæ leges decreta & constitutiones figuntur: atque juxta illam actuum classem ipsa Ecclesia est coetus Christianorum & fidelium, & soli Christo subest: ipsi verò Pastores & Episcopi, non sunt Regis Ministri, sed Christi; nec eatenus Rex est caput Ecclesiæ.

At per alteram classem actuum Ecclesia est corpus Politicum, cujus Rex est caput, Rector & summus Gubernator, cujus leges & constitutiones Ecclesiasticæ sunt validæ, non quia justæ, bonæ, & veræ, sed quia imperatæ à summa Potestate seculari: neque enim juxta eam classem actuum secundi generis, canones & decreta Pastorum & Episcoporum ac-

cipiunt

cipiunt modum, aut imperii, aut obſequii, ab æquitate, juſtitia, aut bonitate decretorum, ſed à voluntate imperantis: ſive ille imperans ſit Rex, ſive perſona Eccleſiaſtica, quæ non magis actus hujuſce claſſis producit & exerit quà perſona ſacra & Eccleſiaſtica, quàm medicus ædificat domum quà medicus. Denique, par ratio eſt duplicis generis actuum qui ſe exerunt in Eccleſia aut Synodo, vel à Paſtoribus, vel ab Epiſcopis, quæ duplicis generis actuum, qui ſe proferunt in Collegio Medicorum, aut fabrorum; in coetu Ducum & virorum militarium, & in ſocietate mercatorum & Textorum; neque enim Collegium medicum ſubeſt Regi, quatenus medicum, ſed quatenus corpus Politicum. Nec ipſi medici, quà medici ſunt Regis ſubditi, nec leges ferunt Pharmacopolis & Medicinæ candidatis per Poteſtatem medicam; ut nec mercatores aut fabri in coetum coacti res ſuas diſpungunt per Poteſtatem, aut fabrilem aut mercatoriam; ſed per illam quæ viget in omni coetu, in quo non functio, ars, ſcientia, imo nec ſapientia, nec prudentia; ſed major pars ſuffragiorum aut voluntas convocantis, imprimit vim conſtitutionibus à coetu latis. Per primum genus actuum, ut ſunt functionis; ſcientiæ, artis, prudentiæ, ſapientiæ, ſuffragia, inquit Plinius, ponderantur; at per ſecundum numerantur: per primum impar eſt prudentia; at per ſecundum par omnium jus eſt: per primum, nihil eſt tam inæquale quàm æqualitas ipſa; at per ſecundum æquum eſt ſingulis, æquum eſſe jus ſuffragii.

 At-

Atque hoc Diagramma Potestatis concordat cum sacra Scriptura, cum Ratione, Jure & consuetudine gentium; imprimis apud populum Dei sub legali œconomia, sub qua Sacerdotes per primam actuum classem offerebant, tingebant, adolebant, mactabant victimam; de lepra & de jure Dei respondebant; legem interpretabantur; monita & præcepta Divina inculcabant: at, per secundum genus actuum, communi jure & jurisdictione cum Principibus populi potiebantur, cùm intra, tam extra Synagogam & Synedria; nec cuiquam de gente sacerdotali unquam, ne per somnium in mentem venit existimare, Sacerdotes per duplicem Potestatem jus dicere in Israële; alteram Ecclesiasticam, alteram Politicam: namque hæc distinctio opus est de Fabrica mysterii iniquitatis & Papæ; & sine qua nunquam homo peccati, hoc est Papa, venisset in mundum: nam & jam tempore St. Pauli istius Fabricæ, seu Potestatis Ecclesiasticæ à civili distinctæ prima jacta sunt fundamenta: ante omnia introducta est Potestas perperam dicta Ecclesiastica, priusquam Papa se ejus caput probaret & inferret. Illa fuit scala per quam conscendit ad id culminis, quod nunc insidet.

Obiter dices, Unde fit, si nullo præcepto Divino, aut jure naturali, aut gentium, Potestas Ecclesiastica distincta est à Politica, nec juxta illud jus naturale & Divinum, unquam venit in mentem sacerdotibus & levitis dividere Potestatem Ecclesiasticam à civili: unde fit

fit, inquam, quod Pastores Christiani Consilia iniverint de Jurisdictione Ecclesiastica separatim habenda in Ecclesia? Ejus rei duæ aut tres omnino videntur esse causæ.

1. Ante omnia, cùm sub primordiis, seu Ecclesiæ, seu reipublicæ populi Dei, hæc & illa non solum in unum corpus coaluerint, sed & uno imperio unâque jurisdictione gubernatæ fuerint à Principibus, Judicibus & Regibus, amicis & Patribus, cum Ecclesiæ, tum reipublicæ, factum est ut nunquam sacerdotes & levitæ, (vel quando suberant Principibus Ethnicis) sibi animo figurarent regimen Ecclesiæ legibus & judicibus distinctum à regimine reipublicæ; sed semper reputaverint sub infenso Magistratu haberi per disciplinam confœderatam (quæ quidem locum suppleret amici Magistratûs,) at sub amico derivari ab eo, tanquam à suo fonte & origine. At plané contrarium evenit sub Evangelio: cum enim circa ortum Ecclesiæ Christianæ, deinceps usque ad Constantinum Magnum, Episcopis & Pastoribus incumberet necessitas sub Magistratu infenso res suas sibi habere, Synodos indicere, disciplinam, leges Ecclesiasticas & censuras decernere, facilé in animum induxerunt, illam Potestatem, Potestatisque actus, quorum fons & origo manat à Magistratu amico & benevolo, sibi deberi jure Divino & exerceri virtute clavium; Potestatisque ligandi & solvendi in solos Pastores Evangelicos collatæ, jure usque adeò perpetuo, ut etiam sub amico Magistratu Christia-

no & fideli ægré passi fuerint ; eam Potestatem seorsim vendicatam, aut sibi præripi, aut decurtari.

2. Accedit alia causa, cur Pastores & Episcopi sub Evangelio in ea sententia obfirmarentur, regimen Ecclesiæ distinctum esse debere jurisdictione, legibus, judicibus, & coetibus, à regimine reipublicæ & imperii ; enata sané ex occasione tribunalium Ecclesiasticorum, passim erectorum in imperio Romano à Constantino Magno, quæ suffugia erant & Asyla contra rigorem Ethnicarum Curiarum : namque, cum Episcopi horum tribunalium essent judices ; (quæ quidem de omni pené causa & lite cognoscerent & judicia proferrent, per delegatam ab Imperatoribus Potestatem, & eatenus Ecclesiasticæ dicerentur, quod eis præessent viri Ecclesiastici ;) non diu fuit, cum cadente in occidente imperio, & acciso in oriente, crescenteque per hoc damnum, authoritate illorum tribunalium, unà in immensum augeretur Potestas perperam dicta Ecclesiastica : quam quidem, cum reipsa obtinerent jure imperatorio, factum est ut Episcopi eam nollent retineri virtute diplomatis à Principibus concessi, sed per delegatam à Principe Ecclesiæ Jesu Christo, & pro potestate clavium, tum ligandi & solvendi, ad solum Christum & ejus Ministros pertinente : atque inde non solum confirmata est ubique opinio de Jurisdictione Ecclesiastica distincta à civili, sed & inter omnia tribunalia caput extulit Romanum. Atque illæ sunt duæ causæ

ſæ veriſſimæ, cur non utique ſacerdotibus & levitis ſub lege, quemadmodum Epiſcopis & Paſtoribus ſub Evangelio, ſubrepſerit & invaluerit opinio de duplici Juriſdictione, quæ quidem uſque adeò alté animis hominum ſedit, ut arrepta fuerit à Proteſtantium Antiſtitibus;annitente imprimis reformatorum primipilo Calvino, ſine quo Poteſtas ſeorſim habita à civili, numquam introducta fuiſſet in orbem reformatum; quanquam corroborata fuerit ex occaſione eadem arrepta à Paſtoribus reformatis Gallicanarum Eccleſiarum, quæ abEpiſcopis & Antiſtitibus Chriſtianorum ante Conſtantini Magni tempora, ut ab his & illis juxta ſub Magiſtratu infenſo aſſumpta diſciplina confœderata, retineretur jure proprio, & cenſeretur eo jure retinendam, etiam ſub Magiſtratu amico & fideli.

Tertia cauſa quæ ubique firmavit Chriſtianos in retinenda & approbanda Poteſtate Eccleſiaſtica diſtincta à civili, orta eſt ex decretalibus, introductis nono ſeculo, quibus fortiter duplex poteſtas, altera Eccleſiaſtica, altera civilis conſtituebatur;uni illarum Papa affixo; unde factum eſt ut in reformatione illa Poteſtas non fuerit ablata, ſed tantum decollata.

Addi poteſt quarta cauſa, quòd cùm gens ſacra, ut utriuſque juris jugiter fuit intelligentior, ita addictior eſſet preſenti ſeculo, unde congruenter Romanus clerus dictus eſt ſecularis, ut à Religioſo diſtingueretur: tum per plura ſecula judicium Epiſcopi imprimis ſuſpice-

ſpiceretur, & in magno pretio eſſet: clerus ubique regnaret in Aula & in foro: nec Judex jus, nec advocatus cauſam diceret niſi clerico in Conſilium, aut in conſortium operis aſſumpto, uſque adeò ut forenſium actorum ſcribæ, eſſent clerici; cujus rei veſtigium remanet in uſu, qui etiamnum hodie obtinet, cum in privata domo qui ſcripturæ operam navat, clericus dicitur. Cum, inquam res ita ſe haberent: non mirum ſi alté ſederit animis omnium ordinum, ordini Eccleſiaſtico, non tantum ſuum deberi ſeorſim ſeparatum imperium, ſed & longé nobilius civili & Politico; & quod Canoniſtæ ſubjiciunt per ſubordinationem Eccleſiaſtico.

Sed è diverticulo redeo in viam, & ad id, quod maximé urgeo, nempé duplex genus actuum conſpicuum eſſe, ut in omni coetu, ſic imprimis in una, ſeu Eccleſia, ſeu Synodo, id affirmant Iſidorus & Synodus Pariſienſis, *viz. Intra Eccleſiam, Poteſtates neceſſariæ non eſſent, niſi quod non prævalet ſacerdos efficere per* doctrinæ *Sermonem, Poteſtas hoc impleat per diſciplinæ terrorem.* Hîc habes Poteſtatem Magiſtratûs & Poteſtatem verbi, hanc quæ ſe exerit per doctrinæ Sermonem, illam per diſciplinæ terrorem: unam, aſſixam Poteſtati ſeculari, aut diſciplinæ confœderatæ, quæ illius vices ſupplet: alteram, ſacræ functioni; unam denique quæ eſt perſuaſionis, alteram quæ eſt Juriſdictionis ſeu coactionis: nam non datur media Poteſtas inter Poteſtatem Verbi quæ transfert à tenebris ad lucem, à regno

regno Satanæ ad Deum per doctrinæ Sermonem, & Potestatem Magistratûs, quæ etiam nolentes & invitos cogit ad obsequium.

At audio te allegantem authoritatem Pauli, Timothei, & Titi, censuras decernentium & infligentium, unde probetur, & dari Potestatem mediam inter Potestatem verbi & Potestatem Magistratûs: & illam cogentem esse; neque posse quemquam censuræ subjici & corripi, quin cogatur subire pœnam, punitionemque, quam potius haberet declinare: hanc porro potestatem & St. Pauli & secundi generis Apostolorum, transmissam fuisse ad Pastores Evangelicos. At facile est docere & demonstrare 1. omnem Potestatem Pastorum Evangelicorum. 2. Potestatem habitam à Paulo, Timotheo & Tito non esse cogentem.

Quod primum attinet, constans est sententia Paparum, Canonistarum, Jurisconsultorum & Protestantium, Potestatem sacerdotalem quà talem, neminem cogere ad obsequium, sed solummodo se exerere in eos qui lubenti animo monitis, jussis, imperatis, & censuris Pastorum se subjiciunt. Verba sunt Augustini de vera Religione c. 16. *Dominus Jesus Christus nihil egit vi, sed omnia suadendo & monendo.* Et Ambrosii, distin. de poenit. can. *Verbum verbum Dei dimittit peccata, sacerdos quidem officium suum exhibet: at nullius Potestatis jura exercet.* Nicolaus. I. non alium gladium Ecclesiæ tribuit quàm spiritualem. Paria censet & loquitur Adrianus VI. Quodlibet. fol. 32. ubi ait, sacerdotem non ulterius ligare & solvere

ſolvere quam quatenus ſolutum & ligatum declarat. Nec ab his longé abeunt Petrus de Marca, & Richerius Sorboniſta; non Campanella, Realis Phil. cap. Aph. 12. ubi omnem Juriſdictionem abjudicat à clero; *Juriſdictio ea eſt nomine tenus, ſi cogendi & puniendi Poteſtatem non habet.* Sed diſertiores ſunt pené omnes Juriſconſulti, ſeu Proteſtantes, ſeu Pontificii; ſeu Lutherani ſeu Evangelici, ut Stephani, Hotomanus, Donellus & Cujacius, hujus verba ſunt in tit. de audientia Epiſcopali, *Eccleſiaſtici non habent Juriſdictionem, nec forum, nec apparitionem, nec executionem.* Quibus ſe adjungunt viri inter Proteſtantium Doctores celebrioris notæ: horum agmen ducit Petrus Molinæus tract de clavibus & Epiſtolâ ad Subrandum Lubertum. *Juriſdictio ea nomine eſt tenus, ſi cogendi & puniendi Poteſtatem non habet.* Chamierus de œcumenico Pontifice lib. 9. cap. 8. §. 22. *Tota Eccleſiam Gubernandi ratio hunc ſcopum habere debet, ut & in Eccleſiam vocentur plurimi perſuaſi & in Eccleſia non alia ratione contineantur.* Camero de Eccleſia to. 1. pag. 386. *Eccleſiæ regimen minimé eſt coactivum: ratio eſt, quia habet pro proprio & adæquato objecto conſcientiam quæ cogi non poteſt.* Tilenus Diſp. de Eccleſiæ Poteſt. in conſtituenda εὐταξίᾳ Theſ. 39. *Eccleſia Poteſtatem habet ad ordinem determinandum per ejuſmodi ſtatuta quæ dirigendi & monendi, non cogendi vim habent ut leges: ac proinde Eccleſiaſticus canon ducit volentem, non trahit nolentem ut lex Politica: quod ſi accedat coactio,*

ctio, ab Ecclesiastici canonis natura prorsus est aliena. Rivetus in Psalmum 110. ubi distinguit regnum Dei à regno civili, *quòd in regno Christi non locum habeat coactio, sed tantum directio: non enim vi coguntur homines ad obedientiam Christo præstandam, sed habet regnum collectum verbo; non coactum gladio:* inde definitionem veræ Ecclesiæ format, ut sit *coetus populi Dei spontanei, qui se totum ad obsequium tradit per Spiritum sanctum regenerati.* Amiraldus de gubernatione Ecclesiæ, *via Ecclesiastica fit persuasione & instruendo, nullâ adhibita vi & coercitione actionibus externis regit motus internos, dum satisfacit conscientiæ.* Porro, cum sacra Scriptura, Ratio Patres, Canonistæ, Protestantium Doctores tria duntaxat nobis edant regna Dei: primum naturæ, cujus Reges & Potestates sunt Ministri in mundo; secundum Gratiæ quod est plané spirituale & quod spirituali modo agit in corda & conscientias hominum, cujus subditi sunt soli fideles, at Ministri sunt Pastores Evangelici: tertium gloriæ: oportet ut regnum Ecclesiasticum, hîc nullum locum habeat; si quidem, ut volunt, nec sit naturæ, nec gratiæ regnum, sed hoc & illud participet, adducens ad obsequium, & vi flexanimâ ut in regno Christi, & cogente, ut in regno naturæ seu Magistratûs: de quo tamen regno mediæ naturæ quod volunt esse Ecclesiasticum vi sacræ functionis habitum & retentum, altum est in Scriptura silentium, nec nisi à Papa demum occupatum.

Nec

Nec leve est, quòd cum secundum Canonistas & vindices ὑπεροχῆς Episcopalis, totum Pastorum munus constet duabus partibus, προεστασίᾳ Episcopali & sacerdotio, seu Ministerio Evangelico; hoc plané sit expers jurisdictionis, adeoque coactionis, illa (etiam concesso, quod sit perinde juris Divini, ac Potestas paterna & maritalis) sit quidem coercitiva, sed eatenùs Potestas Magistratûs, saltem ei supposita, ad modum quo subalterna subjicitur summæ, & Potestas paterna & maritalis per subordinationem subjiciuntur Potestati Magistratûs; ut jam Potestas Pastorum nullo modo sit cogens, nisi quatenus est Potestas Magistratûs: at si non cogit, pertineat ad Ministerium Evangelicum, cujus est perducere ad fidem per vim flexanimam: una est Ciceronis in Senatu potestas; altera ejusdem authoritas in Tusculano, qualis Posidonii sapientiæ Professoris, cui (inquit Plinius lib. 7. cap. 30.) submisit fasces lictoris Pompeius, cui se oriens occidensque submiserat. Certé cum Potestas perperam dicta Ecclesiastica sit cogens, par est subjici Potestati Magistratûs: vicissim par est Potestatem Magistratûs subjici Potestati Verbi; at non Potestati Ecclesiasticæ, à qua fit provocatio ad Magistratum: neque enim Magistratus subest duabus Potestatibus, quarum una tantum ab altera differt, quantum Potestas Verbi à Potestate Magistratûs.

Quod attinet modum Potestatis habitæ à Paulo, Timotheo, & Tito, nullarenus fuit cogens,

gens; nisi authoritati persuasionis in subsidium accesserit potestas miraculorum. Nam Johannes Baptista, corripiens Herodem, Ambrosius Theodosium, non adhibuit ullam vim cogentem: nec qui rejicit hæreticum, vim affert hæretico: sed ipse se ab ejus consortio abstrahit: nec si levita, sacerdos aut aliquis de populo jubetur, malum, improbum, leprosum, idololatram à se arcere, aliam vim adhibet præter eam quam ipse sibi, aut forsan jurisdictionis, quâ sacerdos, levita & Princeps populi communi & æquo jure potiebantur, non vi sacerdotii, aut functionis sacræ. Certé ea fuit sententia Hieronymi & Antonii Godelli Episcopi Pontificii ad Titum cap. 3. versu 10. & 11. non ulterius debuisse Titum rejicere hæreticum, quàm quatenus debuit ejus consortium fugere; non feriendo aliquâ censurâ, ut depositione, excommunicatione, aut fustigatione qualis decreta est in Godescalcum à sua Synodo; siquidem versu undecimo, dicitur hæreticus, non alieno, sed proprio judicio damnatus. Verba sunt Godelli in sua parafrasi: *L'Heretique previent ta condamnation, se separant le premier de la condamnation des autres, & refusant de se soumettre à ton jugement.* At *Hieronymus* ait, *Hæreticum à semet ipso damnari & propriâ conscientiâ.* Hic subit mirari oculatiorem fuisse aut Hieronymum aut Pontificium Doctorem nostrorum Protestantium Doctoribus, Potestatis Ecclesiasticæ & excommunicationis acerrimis vindicibus, ut fuerunt

runt Beza & Diodati, qui hanc hæretici rejectionem faciendam à Tito intelligunt de sententia excommunicationis; pari absurditate quâ volunt verbum σημειοῦσθε 2 Thessal. cap. 3. v. 14 itidem intelligi de excommunicatione, contra intellectum loci, glossæ, Lyræ & Zuinglii, qui volunt, Apostolum non loqui (verba sunt Zuinglii) de excommunicatione, sed de privata consuetudine, ut quisque quantum potest se subducat ab illis qui inordinatè vivunt. *Hunc notate* (inquit Lyra) *in scribendo, ut possim eum corripere.* Redeo ad nostrum diagramma.

Atque hoc diagramma concordat cum sensibus doctissimorum virorum de illustri ordine hierarchicorum Anglorum, ut Richardi Hookeri lib. 8. de Eccles. leg. *Rex est caput Ecclesiæ quatenus Ecclesia est caput Politicum: non quatenus Ecclesia est coetus fidelium: neque enim ejusmodi Ecclesia aliud caput habet præter Christum*, nec non authoris tractatûs eruditissimi dicti, *Episcopal Inheritance* & qui putatur Episcopus pag. 22. *Dogma est Pontificium: Regimen Ecclesiasticum est distinctum à Politico, quod Bellarminus defendit eo solùm Consilio, ut Papalem hierarchiam supra Reges extollat, & clerum eximat à seculari authoritate. Calvinus idem affirmat Inst. 4. 11. §. 1. 2, &c. Sed pace eorum dixerim, crassum hunc errorem esse existimo, licèt id dogmatis sit vulgare idolum; quod quisque animo sibi figuravit, non aliam ob rationem quam quia in regno nostro & forsan alibi divisæ sunt Curiæ,*

quem

quem quidem non puto fuisse antiquum morem, &c.

Nec hoc diagrammate alia expeditior ratio ad enodandas omnes controversias de imperio Regum circa sacra, & de modo quatenus Rex est caput Ecclesiæ; & quod temperamentum imperii & obsequii adhibendum in negotio religionis.

Per idem diagramma ratio constat nostræ novæ Rationi: nam cum Papa imperium terrenum ædificaverit in Reges & populos per omne nefas, vendicando & occupando exercitium & productionem actuum qui pertinent ad secundam classem: sed ne iniquitas dispalescat, fucando illam injustam occupationem imperii terreni vocabulis actuum qui pertinent ad actus primæ Classis: fuco & tectorio illo deterso & ablato, Papa prodere se debet Princeps terrenus, adeoque pellendus à mundi Monarchis, nunquam laturis æmulum aut consortem, (si non Dominum) ejusdem imperii; parique ruinâ involvitur totus apparatus Religionis Romanæ, doctrinarumque Papalium, quibus omnis authoritas accedit à Papæ imperio personato.

Tandem hocce diagramma docet quantum meæ hypotheses à sententia Erasti discrepant, qui Regem statuit caput Ecclesiæ, quatenus illa est Ecclesia & coetus fidelium & Christianorum, & vult Verbi Dei Ministros esse Regis subditos quâ Ministros; quo nihil absurdius dici potest, licet hic error humanitus contigerit magno viro Andreæ Riveto, cujus hæc

ſunt verba in explic. decalogi, *Miniſtri quatenus miniſtri, ſunt ſummi Magiſtratûs ſubditi: cur autem à ſubditis non liceat provocare ad ſupremum Magiſtratum? & cur ſupremo Magiſtratui judicia Miniſtrorum recognoſcere; ſi bona rata habère, ſi mala abolère.* Nec ſolum is fuit error Eraſti, ſed & Petri Martyris, cum ſubjicit Magiſtratui, & Jurisdictionem, & functionem ſacram Paſtorum: licet ubique dicat, Eccleſiam ſubjici Chriſtiano Magiſtratui, non Eccleſiaſticâ ſed Politicâ ſubjectione: quod dictum, ut concordat cum meis ſenſibus, ita convellit pronunciatum de functione ſacra mancipata functioni Magiſtratûs.

Adde quod totus diſcrepem ab Eraſto in ratione formali Eccleſiæ ſtatuenda, & modo poteſtatis qui Synodis tribui debet: nam tam abſurdam credo notionem Eccleſiæ nationalis, quatenus eſt collectio aut coalitio plurium Eccleſiarum particularium, quam foret appellatio Scholæ nationalis: quam vellent eatenus ſic propriâ locutione dici, quod ſub ſe capiat omnes Scholas unius aut territorii aut regni: quanquam Juſſio Henrici VIII. anno 1521. ut ubique uniformitas Scholæ & Grammaticæ Lillianæ ſervaretur in Anglia, tam propriâ locutione conſtituit Scholam nationalem, quam Eccleſiam nationalem, cui uniformitas injungitur. Certè St. Paulus loquitur de Eccleſiis Galatiæ & Achaiæ: at nunquam de Eccleſia Galata aut Achaica, ut, per hanc aut illam intelligat corpus plurium Eccleſiarum inter Galatas & Achæos. Sed nec majorem

jorem modum aſcribo Synodo & Paſtorum coetui, quam Collegio aut medicorum aut fabrorum, quorum eſt duntaxat ſua ſenſa declare ſuper re quapiam propoſita, non jubere, nec imperare, niſi ad modum medicorum aut obſtetricum, ut Lesbiæ apud Terentium: *quod juſſi ei dari bibere, & quantum imperavi, date*; nec aliud anathema intorquere in detrectantes imperia quam quod à Synodo Hieroſolymitano, Act. 15. v. 29. *Si hoc facitis bene agetis.* Tum diſtantiſſimé ab Eraſto abeo, quod pernegem Eccleſiam quamcunque, ſeu perperam dictam nationalem & Provincialem, ſeu particularem quatenus eſt Chriſtiana, conſtans populo Chriſtiano, fideli & Paſtoribus ſacra functione præditis, habére aliud caput præter Chriſtum; & conſtanter affirmem, non ulterius propria locutione Eccleſiam dici Nationalem, quam quatenus eſt corpus Politicum, cujus caput ſit ſummus Magiſtratus; & hoc ſenſu proculdubiò canones (can. 139.) Regis Jacobi volunt intelligi Eccleſiam Anglicanam: alioquin durius videretur ſacris arcére eum qui non credit Regem eſſe caput Eccleſiæ, quatenus eſt coetus Epiſcoporum & virorum Eccleſiaſticorum: utut non incommodo ſuo careret, excommunicare illum, qui negat Regem eſſe caput Politicum corporis perinde Politici. Dignus eſſet exilio non cenſurâ Eccleſiaſticâ, qui coetum mandato Regis congregatum & munitum authoritate jubendi, vetandi & puniendi, negaret eſſe coetum Politicum.

Redeo ad noſtram novam *Rationem*, cui tantò magis conſtat ratio, quod, ponendo noſtrum diagramma figmentum eſſe humanum; atque actus utriuſque claſſis pertinere ad miniſtros quâ miniſtros: ponendo etiam Poteſtatem Eccleſiaſticam reipsâ à civili eſſe diſtinctam, & tam rem eſſe bonam & imperatam quam ipſam pietatem; non minus conficitur, ut ſub ſuco pietatis multa latent ſcelera, ita ſub involucro Poteſtatis Eccleſiaſticæ, Papam ſtruxiſſe imperium in mundi Monarchas, & eatenus impleviſſe Prophetiam St. Pauli, iniquitate & myſterio; hoc eſt injuſta occupatione imperii & mangonio, ſeu tectorio Poteſtatis Eccleſiaſticæ & ſpiritualis, quibus id imperii obduxit; ut jam mea Ratio, vel unâ columnâ ſeu tibicine fulta, tantò firmior, ſit ubi pluribus inſiſtit, nec adminiculo Eraſti, nec quoquam, ſed ſola tua æquitate, tuique ſimilium, nullâ ſuâ cuique utilitate, nulloque præjudicio abreptorum, fulciri, indigeat.

Nobili

XLVII.

Nobili, Reverendo & Doctissimo Viro,

DOMINO

LUDOVICO HERALDO,

Ecclesiæ Gallo Londinensis Pastori fidelissimo, & Ordinario Regis Sacellano.

NOn erit injuria virtutum tuarum (Vir Clarissime) nec affectûs, quo te prosequor & colo, si cum ubique sis eruditione reconditissimus, affirmavero, te in hac materia, quam tracto hâc opellâ, esse, aut hospitem, aut incuriosum, adeoque non esse quod tuam humanitatem fatigem longiori Epistolâ, quæ apud te rationem reddat novæ nostræ Rationis. Nec injuriâ hoc dico de te, quem semper observavi promptissimum ad sacram & exoticam, cum Criticam, tum Historiam, & quam non rem literariam de Divite pectoris tui scrinio & penu depromptam? semper declinasse omnem orationem de argumento, cui plusculos annos insudavi: quod est nova Ratio Papam ejusque imperium & Ecclesiam, religionemque Romanam evertendi, & cujus momentum, cum maximum esset apud me, at non perinde apud te, in nostro familiari colloquio, urgere destiti. Nam cum diu sit postquam alté imbibi mysterium iniquitatis de quo St. Paulus secundo capite secundæ Epistolæ ad

Thessalonicenses, *duobus constare* Iniquitate & Mysterio: *iniquitate quidem, cum Papa imperium terrenum per iniquas & impias artes, occupavit in Reges & populos: at mysterio, cum illud incrustavit fuco & tectorio vocabulorum*, Ecclesiæ, Episcopi, & Potestatis Ecclesiasticæ & Spiritualis; *Cum inquam diu apud me agitaverim, atque in ea sententia firmatus fuerim, illum esse intellectum Paulinæ Prophetiæ, in spem fore ut aliquando, hancce novam* Rationem, *istius intellectus fœtum, excluderem, semper distuli tibi molestus esse longiori sermone de hacce Ratione, quoad ipsa lucem aspiceret, & ultrò in conspectum tuum se ingereret: tu vero primùm eam in manus sumeres, legeresque, potius ut rem gratam faceres mihi quam tibi; mox intellectam degustares, probares & arriperes; tandem probatam & arreptam aliis pro tua authoritate commendares: quod te facturum spondent maxima tua, non solum in me & rem literariam, sed & in Regem merita, quorum ut tandem rationem habeat, author sum, ut Potentissimo Monarchæ tempus figas te remunerandi, illi reponens verba quæ Plinius in quadam Epistola usurpat apud Fundanum, designatum consulem in proximum annum, in gratiam Asinii Bassi, pro quo rogabat Fundanum ut ante tempus eum assumeret quæstorem suum*; Si festinare videor, ignosce; primum quia votis suis amor plerumque præcurrit, deinde quod in ea civitate vivimus, in qua omnia quasi ab occupantibus aguntur, quæ legitimum tempus expectant, non matura, sed sera sunt.

Cla-

XLVIII.

Clarissimo, & eximio Theologo, Viroque Nobili.

LUDOVICO LE BLANC,

DOMINO

DE BEAULIEU.

Cum Ornatissimus Theologus, multis mihi nominibus reverendus, D. Johannes Vauquelinus, ad me scripsisset, se non dubitare, quin Epistola mea Latina, in qua tibi probare & accepta reddere, animi mei sensa, super re, propter quam tamdiu & tantopere exagitatus fui, impensé studebam, te non solum moveret, sed & permoveret ad æquius sentiendnm de tota re, de qua lis erat inter nos, atque ad tantam lucem & rationum vim, quasi multo grandine tibi affatim affusam, ad manus mihi dandas adigeret; contrà accidit præter expectationem tanti viri, ut videreris, dum nostra legisti, velo obduxisse & obfirmasse animum, quod prædixeras, adversùs veritatem adeò manifestam, & claré ac dilucidé demonstratam, ut vel pars decima argumentorum, quæ tibi sufficiebam potuisset quemquam non occupatum sententiâ ante arreptâ, multò magis tota congeries rationum

quas ad cumulum tibi admetiebar debuisse te pervincere, te inquam virum tanti judicii & tanti candoris, ut de te omnes prædicant, & ut res ipsa indicat, ubi tibi res est cum Pontificiis, dum non omnia in his damnas, nec omnia in nostris probas, ut jam frustra mihi sponderem, te futurum æquum lectorem hujus opellæ superstructæ illis hypothesibus, quas damnavisti & repudiavisti, & ob quas vapulo ut flagrum Ecclesiæ in æstimatione consimilium isti homini, cujus historiam texit mihi Vauquelinus, qui ad solum oculorum conjectum in titulum Parænescos ædificatorum imperii in imperio, totum opus anathematis fulmine ambussit: Sed non si tu me omnibus diris devoveres, conspueres in faciem, vel haberes loco hominis amandandi ad Anticyras, committendique custodiæ gentilium & agnatorum, ut suî non potentis, vocares flagrum Ecclesiæ, minus persiarem in bonas spes pertinax, fore ut aliquando tantus Theologus, tam pius, nivei candoris, pectorisque impervii omnibus sinistris suspicionibus, sumat tanquam novam & modò acceptam Epistolam meam in manus, atque tanquam nunquam visam aut damnatam integris animis legat, ejusque sit nunc quam fuit benignior lector & judex, eòque magis æquâ judicii lance expensis Vauquelini verbis, quæ sunt optimus commentarius ad meam Epistolam, non pigebit illa exscribere.

" J'ay tellement goûté les raisons dans vô-
" tre lettre à M. de Beaulieu que je ne puis
" que

“ que je n'y donne mon assentiment, je ne
“ doute point qu'il n'en soit ebranlé. J'ay
“ opinion qu'il vous écrira, & vous temoigne-
“ ra, qu'il a conceu de vôtre doctrine une
“ idée bien differente de celle, qu'avoit en-
“ gendré dans son esprit la description odieuse,
“ qu'on luy en avoit faite : il verra que vous
“ ne depouillez pas les ministres de la puissan-
“ ce de juridiction, encore que vous niez que
“ cette puissance soit une partie du sacré mi-
“ nistere, où de la puissance des clefs : il aper-
“ cevra, que cette puissance reside dans l'Eglise,
“ soit par un decoulement du Magistrat Sou-
“ verain, qui en est immediatement revestu
“ de Dieu, soit par une discipline confederée.
“ En fin il verra que la fin que vous vous pro-
“ posez est si bonne & si avantageuse pour l'a-
“ vancement du regne de Jesus Christ, puis
“ qu'elle ne tend qu'à la destruction totale du
“ regne de l'antechrist, que quand vous avan-
“ ceriez des hypotheses un peu rudes, ce que
“ je n'ay pas encore remarqué, il faudroit
“ pourtant vous supporter, tant s'en faut
“ qu'on dust donner à vôtre doctrine une face
“ si hideuse, comme quelques uns ont fait
“ jusques à present ; Hæc cum sint sensa mea, & sana & sobria, nemo nisi præjudicio excæcatus dixerit sermonem esse ejus, qui aut non est sui potens, aut est flagrum Ecclesiæ, ut passim apud vos vapulo.

Cæterùm, vult Vir præstantissimus, ut si quâ erraverim in exponenda potestate ligandi & solvendi, eatenùs tamen non sim culpandus,

cum

eum ubique pertendo, atque in eo nunc pono & constituo, totum complexum, totum Consilium, totamque designationem operis, cui titulum do *Jugulum Causæ*, scilicet quanquam præsupponeretur potestatem (quam affirmo perperam dici) Ecclesiasticam, nec non προστασίαν seu prælationem Episcopalem, tam esse res bonas & sanctas, imo injunctas & imperatas aut decretas à Domino Jesu, quam pietas ipsa & mysterium pietatis res sunt bonæ, non minus à fabris mysterii iniquitatis adhibitas ad compositionem mysterii iniquitatis, tanquam fucum, involucrum & scalam, quibus incœptum, auctum & ulterius provectum fuit. licet non diffitear illam esse viam magis compendiariam & compendiosam, quæ ponit omnem potestatem Ecclesiasticam esse merum figmentum humanum; nam sic ejus ruina involvit ruinam Papæ, Papismi, Ecclesiæ & religionis Romanæ: Et de hoc tam certus sum quam scio bis duo esse quatuor.

Nam utut sit, stat sententia quam obfirmato (at Deo gratias subacto) animo & judicio imbibi, & cui sententiæ tam immori cupio (nisi Deus interim saniora doceat) quam doctrinæ de mysterio pietatis, quod est Christus revelatus in carne & fide apprehensus: stat inquam sententia, quam fusius tracto capite decimo hujus opellæ, Papam Romanum implevisse mysterium iniquitatis, dum per hasce fraudes artes, & gradus pervenit ad culmen imperii, quod nunc insidet.

1. Cum ergo totum mysterium iniquitatis

ſit imperium Papæ terrenum, ædificatum in terrarum dominos ſub involucro & fuco poteſtatis Eccleſiaſticæ & ſpiritualis, primum molimen fuit imbuere animos hac perſuaſione; mundum regi debere per duplicem juriſdictionem; ad quarum alteram quæ eſt Eccleſiaſtica (licet reipsâ ejuſdem naturæ quæ eſt poteſtas Magiſtratûs) & ejus clavum, ſedent Paſtores Evangelici.

2. Fraus fuit, ut quam Paſtores Evangelici Poteſtatem perperam dictam Eccleſiaſticam in greges Chriſti aſſumpſerant, cujus primum rudimentum habetur. 1 *Petri.* cap. 5. verſu 3, eandem unus Paſtor qualis fuit Diotrephes vendicaret in Collegas per Poteſtatem ſeu πρεσβείαν Epiſcopalem.

3. Fraus & techna adhibita eſt ex occaſione tribunalium Epiſcopalium Conſtitutorum à Conſtantino Magno, diſtinctorum à civilibus Curiis, unde confirmati fuerunt viri Eccleſiaſtici in conſilio ſibi ſeorſim aſſumendi juriſdictionem quam vocant Eccleſiaſticam, nec amplius (concidente in occidente imperio Romano) retinendam virtute diplomatis ab Imperatore indulti, ſed tanquam à Chriſto, & pro poteſtate ſua ligandi & ſolvendi, ac clavium in ſolos Paſtores collata.

4. Siquidem juriſdictio tam laté pateat quam Eccleſia Catholica, æquum eſſe, ut huic, ſeu Juriſdictioni, ſeu Eccleſiæ Catholicæ præficiatur caput, præſes & moderator ad quam ὑπεροχὴν, non aptior perſona viſa eſt Epiſcopo Romano, qui fuit Epiſcopus illius urbis, quæ diu fuit ſedes & caput imperii.

5. Sed

5. Sed cum infirmi essent tibicines & fulcra à sacra Scriptura, ratione, Patribus & Jurisdictione Catholica, seorsim habenda à civili, cujus potestates abiverant in plura dominia, angustis limitibus conclusa, præ Jurisdictione Ecclesiastica, tam longé latéque se porrigente, quam Ecclesia Catholica, quibus huic & illi juxta æquum erat ut præesset Episcopus Romanus: cum inquam infirmi illi essent tibicines quibus Papa suum imperium terrenum stabiliret & firmaret in Reges & populos, & suboleret passim fraus Potestatis Ecclesiasticæ & spiritualis, sub quorum vocabulorum involucro, ut hodie facit, obtegebat Papa suum imperium terrenum, circa medium noni seculi, sumpserunt Papæ temerarium consilium, sed eventu felix, quod fuit fabricare & obtrudere toti mundo Epistolas decretales Clementis, Anacleti, & quadraginta Episcoporum Romanorum, quibus ejusmodi modus imperii, qualem exoptabant, conferebatur in Episcopum Romanum: quæ decretales passim receptæ pro veris & genuinis, longé fuerunt majoris authoritatis ad subjiciendum totum orbem Christianum Papæ, ut pote longé antiquiores, quam quicquid contra allegaretur à conciliis & Patribus; & immensum quantùm contulerunt ad parandum & firmandum imperium terrenum Papæ, sed fucatum potestate spirituali & Ecclesiastica, atque retinendum immotum & inconcussum per plura secula; usque adeo, ut sola hodie possessio valeat: nam nec potuit concuti etiam

post-

poſtquam Reges & populi exoluti fuerunt errore & fraude illarum Decretalium, quod primùm accidit initio decimi quinti ſeculi, annitente imprimis Laurentio Valla: Siquidem iſtis decretalibus evenerit, quod tabulatis & fulcris ligneis, quibus inſiſtitur ad fabricam palatii, quod ſtat, duratque in ſecula, etiam poſtquam tabulata ſunt, aut vetuſtate, aut igne conſumpta, ut jam perinde ſit ad firmamentum Papalis imperii, ſeu Eccleſiæ Romanæ, ſive decretales ſpuriis ſcriptis, ſive veris accenſeantur.

Atque hæc fuſius expono in hoc opuſculo aperto velo, revelans omnes ſtrophas, omnes artes, quibus Papa præſtructim evaſit ad id faſtigii, quod etiamnum hodie inſidet: adhibitis priuſquam decretales cuderentur ſcalis poteſtatis Eccleſiaſticæ & προστασίας Epiſcopalis: quarum amore ſi perſtas in damnanda mea Epiſtola & eodem obelo configis meum jugulum cauſæ quod eſt ejuſdem fabricæ, ſolabor me hâc conſcientiæ meæ fiduciâ, me innoxium, innocuum & inſontem damnari & vapulare à viris bonis & ſanctis: te imprimis, ſed à vero, præjudiciis abreptis. Quocirca appello tuam & æquitatem & conſcientiam, ut in ſeducto repures, an debuerim ſic odioſé exagitari ob aſcriptum Paſtoribus eum Poteſtatis modum quem habuerunt, nec alium Chriſtus & Apoſtoli extra donum miraculorum in regimine Eccleſiæ, & qui per ſpiritum in verbo transfert à Poteſtate Satanæ ad Deum, & à tenebris ad lucem: & quod conſtanter

ſtanter affirmem cæteros actus Poteſtatis in Eccleſia, potius exerceri circa miniſterium, quam pertinere ad miniſterium Evangelicum, quales illi, qui ſunt de Epiſcopatu Conſtantini, ſeu de poteſtate in Eccleſia imperante, cogente, vetante, puniente, res Eccleſiæ ordinante, ad quarum adminiſtrationem & ordinationem & jus ad eas, tantum abeſt ut arceam paſtores Evangelicos, ut eos imprimis & pené ſolos admoveri velim regimini Eccleſiæ, ut peritiores Divini, humaniquē juris: hoc ſolum caveam ne actus miniſterii Evangelici, confundantur cum illis quos exercent ut libera capita & æquo jure prædita cum reliquis hominum ordinibus, in quorum turba medici aut fabri, tam congrué exiſtimarent ſe ordinare res ſuas per Poteſtatem medicam & fabrilem, quam Paſtores illos actus exercere per Poteſtatem ſuam ligandi & ſolvendi, ſeu ſpiritualem & Eccleſiaſticam: nam utrobique par eſſet abſurditas.

Hæc, inquam, ſi in ſeducto reputares apud te citra præjudicium, non exſpes forem, ut aliquando æquius judicares de me, cenſente nullam unquam ſpem eſſe, futurum ut evellantur, tum reliquiæ Papiſmi, tum morbi interiores & qui foris non apparent, quibus noſtræ Eccleſiæ laborant, quoad.

1. Viri tui ſimiles, pietate & eruditione conſpicui, atque noſtrarum Eccleſiarum Antiſtites exolvantur & liberentur fraude illa Papiſmi, quem nondum penitus depoſuerunt, qui que eſt

eſt poteſtas Eccleſiaſtica habita virtute poteſtatis clavium (hoc eſt, ut interpretantur poteſtatis Eccleſiaſticæ vindices, poteſtatis innodandi per excommunicationem & enodandi per abſolutionem) in ſolos Paſtores collatæ, qui quidem poteſtatis fucus & fraus, cauſa eſt perpetuitatis, cum Papiſmi, tum Eccleſiæ & Religionis Romanæ in orbe Chriſtiano: ſiquidem ſub hoc fuco Papa ſuum ædificaverit imperium terrenum in Reges & populos, quo quidem imperio, pompâ, divitiis & robore illuſtri, conciliatur authoritas, & Eccleſiæ, & Religioni Romanæ.

2. Et quoad exolvamini interpretamentis quibus tanquam feſtucis veſtram Poteſtatem Eccleſiaſticam ſupportatis; ut, cum *Matth.* 18. vocabulo *Eccleſiæ* vultis intelligi Conſiſtorium Paſtorum & ſeniorum Evangelicorum, & verbis *ſit tibi, &c.* affirmatis vibratam excommunicationem Judicio Eccleſiaſtico, in Publicanum & Ethnicum: à quo intellectu videtur longé abiviſſe Druſus & Jacobus Capellus harum rerum, imprimis Judaicorum rituum egregié gnarus, diſp. inſerta Veſtro Theſauro Theologico, de def. diſcip. Eccleſ. reformatarum Theſi. 17. *In novo Teſtamento* (inquit) *nec cleri nec ſacerdotis nomen uſquam tribuitur Eccleſiæ Doctoribus, ne putent ſibi ſolis competere cognitionem rerum ad hæreditatem cæleſtem pertinentium.* In qua ſententia fuerunt Petrus Gregorius & Okamus lib. 2. tract. 2. parte 3. dial. c. 10. *illis verbis non tribuitur aliqua Poteſtas Judicibus Eccleſiaſticis pluſquam judi-*

judicibus secularibus : nam ibi non accipitur Ecclesia pro viris Ecclesiasticis sed pro congregatione fidelium, quæ laicos & clericos comprehendit. Et quoad liberemini crasso illo errore intelligendi Potestatem solvendi & ligandi, hanc quidem de interdictione aut Sacramentorum, aut conventûs; illam verò de solutione & enodatione à vinculo excommunicationis.

3. Et quoad vestri populi, & vos ipsi exolvamini & liberemini futilitate duplicis generis seniorum, retinendorum in Ecclesia jure Divino, quorum uni Verbum est concreditum, unà cum regimine Ecclesiæ, alteri regimen duntaxat est demandatum: de quo tamen duplici genere seniorum altum est in Scriptura silentium.

4. Et quoad partium studia, mutua certamina Pastorum, privata gratia, æmulationes, factiones, rigor ille exigendi à Ministerii candidatis assensum disertum & expressum Conciliorum Canonibus, quibus vis & authoritas accedunt, non à verbo Dei, nec ab eorum bonitate, sed à majori parte suffragiorum: quoad, inquam illa mala exulant ex nostris Ecclesiis:

Denique quoad tibi & tuis symmystis veritas constet fragmenti Gallici quod ex Epistola Vauquelini exceptum tibi reposui, quo plus liquidæ & solidæ veritatis continetur circa genus & modum potestatis à Pastoribus & Synodis habendum & retinendum, quàm unquam, hinc & inde pluribus voluminibus scriptum

ſcriptum eſt: & quod ſemel intellectum, probatum & arreptum, medelam afferret triplici illi morbo, quo noſtræ Eccleſiæ reformatæ in Gallia laborant, imprimis ſi arcté tenerent veritatem illorum corollariorum quæ ſubjungam, & quæ idem dicunt quod Vauquelini fragmentum, nempe.

1. Paſtorum Poteſtatem plané ſpiritualem eſſe; nec quicquam commercii & affinitatis habere cum Poteſtate Magiſtratûs, utpote quæ eadem ſit quæ poteſtas verbi, Chriſti & Apoſtolorum, ſi in terris eſſent, duntaxat ſe exerens in volentes, ſaltem in illos quos hortationes, incitamenta, minæ è nolentibus præſtant volentes: in ſumma, analoga ſit poteſtas, authoritati Ciceronis in Tuſculano, Zenonis in Stoa, & Ariſtotelis in Lycæo.

2. Poteſtatem, ſi quæ ordinis gratia in Eccleſia habetur & exercetur, per quam Synodi indicuntur, Canones conduntur, Canonibus vis legum Eccleſiaſticarum imprimitur, Paſtores ordinantur, deponuntur, & quivis de coetu excommunicantur, tum aliis cenſuris ſubjiciuntur, reſidere, tam de lege naturæ & Divinæ in corpore Eccleſiæ, quam poteſtas puterna, maritalis & deſpotica in capite familiæ, atque ejuſdem eſſe naturæ quæ poteſtas omnium Societatum, Collegiorum, cœtuum, in quibus juſtitia, bonitas, æquitas & veritas non dat vim & virtutem legi latæ à coetu, ſed major pars ſuffragiorum.

3. Eam Poteſtatem in Eccleſia quapiam, tum particulari, tum notionali haberi, & retineri



 tineri

tineri per disciplinam confœderatam, quandiu poteſtas ſecularis non attendit ad res Eccleſiæ, at per Poteſtatem delegatam-ab ea, ubi res Eccleſiæ illi ſunt cordi.

4. Cum unaquæque Eccleſia particularis (cui Rex, ut in Gallia, arbitrium indulget res proprias ordinandi) recidat in conditionem liberi populi, prudenter de ſuo corpore deputare, Seniores quos vocant, qui operam ſocient cum Paſtoribus ad res Eccleſiæ ordinandas, per eum Poteſtatis modum & genus quo quævis ſocietas, coetus & Collegium, ut mercatorum, fabrorum, medicorum, virorum militarium, Mathematicorum, res ſuas diſpungunt & ordinant.

Atque compertâ ſemel hâc verâ naturâ poteſtatis retinendæ à Paſtoribus in Gallia & exulare juſsâ, quæ perperam dicitur Eccleſiaſtica ſed Papalis gemina & germana, tum demùm Paſtores & primores de plebe Chriſtiana (nullâ Poteſtatis fraude, nedum piâ adhibitâ, quâ fraus fraudem trudit & trahit, ut cum poteſtas perperam dicta Eccleſiaſtica, alias fraudes, illaque quæ dixi mala, ſtudia partium, factiones, æmulationes, & ejuſmodi, quibus Eccleſia corrumpitur, parit) tum demum inquam Paſtores & Seniores ex bono & æquo, & per omnem charitatem, & citra ambitum & ambitionem, res Eccleſiæ ordinabunt: Etenim quanquam de Paſtoribus, Chriſti Miniſtris, concionantibus de cathedra, non aliam vim adhibentibus præter vim flexanimam; & de populo audiente & attendente

ad

ad Paſtorum Sermonem, conficiatur vera Eccleſia, corpuſque & coetus fidelium & Chriſtianorum; attamen iidem Paſtores, ut ſunt libera capita & rerum humanarum uſu docta, & ſociant operam cum ſenioribus populi ad ordinandas res Eccleſiæ; tum ſunt corpus Politicum, eodem jure, ordine, eadem lege & prudentiâ (quâ quævis ſocietas) res ſuas diſpungens & componens, jus dicens etiam in nolentes, ut eſt Judicis & Magiſtratûs.

Atque eo modo Poteſtatis ſemel cognito & uſurpato à Paſtoribus & ſenioribus Eccleſiarum reformatarum, nihil obſtabit quo minus omnes controverſiæ & lites circa Poteſtatem Synodorum, Paſtorum, Clavium, ligandi, ſolvendi, ſedentur & componantur, tum certamina Paſtorum, ſtudia partium, factiones inter fratres & ſymmyſtas tollantur; pax alta & conſenſio arcta inter omnes ordines virorum qui ſunt Eccleſiæ membra ineatur. Profectò propter hanc ignorantiam de natura Poteſtatis Paſtorum in Gallia inter reformatos, ex quo Petrum Molinæum Jeſuitæ extorrem egerunt Lutetiâ, & Paſtores Pariſienſes interceſſerunt, ne ex exilio revocaretur; corpus Eccleſiarum Gallicanarum factionibus fuit ſciſſum per ambitum & ambitionem paucorum Paſtorum inter ſe pugnantium, vel ſua Poteſtate Eccleſiaſtica ſupra viros laicos, ſeu ſeniores, ſeu de plebe ſe efferentium, per quam illis ſolenne fuit nocentes culpâ eximere, innocentes & infirmos proculcare, nihil penſi haben-

tes modò suam authoritatem, ingenium, seque proferrent, atque voce fulgurante & tonante in magna Synodo, plures in suam partem traherent; unde bonorum & humiliorum offensiones & scandalum, & adversariorum infensior & acrior animus in nos insurgendi & pessumdandi diffidentes, quos periculi societas jungere debuisset per mutuam & flagrantiorem charitatem, non omnia fratrum delicta, dicta, scripta severius interpretando, ut cum te exagitant tanquam æquiorem quam par est in Pontificios; & cum pené Vauquelinum ut prava sentientem, aut suo tonitru exauctorationis straverunt, aut fulgure suæ excommunicationis ambusserunt, nam φοβερὰ, dira ac dura parant in Dussæum Salmuriensem, virum apprimé reverendum propter suam coalitionem omnium Christianorum per unius fidei vinculum: cujus opus, licet pluribus incommodis, iisque insuperabilibus urgeatur, & multa ἀσύστατα habeat, existimo tamen optima menté prolatum fuisse ab eo; & deberi ejus authorem, per omnem lenitatem admoneri, si quâ erraverit, non verò acrius corripi. Porro de Dussæi libro cum fusius sensa mea exposuerim apud virum Clarissimum Henricum Oldenburgium, consilium est antequam finio excutere quæ reponis in quadam Epistola. Fortiter negas illam hypothesim (*Imperium quod Papa possidet in Italiam, Galliam, Hispaniam, & partem Germaniæ & Belgii sub fuco & involucro potestatis Ecclesiasticæ & spiritualis, ejusdem naturæ esse quæ est*

naturæ

natura imperii quod Reges & Monarchæ mundi habent in ſuos ſubditos, atque revera eſſe terrenum) ſemel intellectam probatam & arreptam ab illis ſacris capitibus, ſolam unicam & facilem eſſe viam ad evertendum Papæ imperium & unà eadem ruinâ involvendam Religionem & Eccleſiam Romanam; & affirmas illam hypotheſim, cujus perſuaderentur, non plus momenti, authoritatis, & virtutis habituram apud mundi Monarchas, ad eos movendos, immo permovendos, ut Papæ imperium, Religionem, & Eccleſiam evertant, quàm foret ſemel ab illis probata opinio & arrepta de futilitate, aut dogmatum, ut eſt Tranſubſtantiatio, purgatorium, cultus imaginum, aut Monarchiæ aſcriptæ St. Petro: in ultimo cum imprimis ſubſiſtas & affirmes diſtricté ex tua hypotheſi perinde atque ex mea agnita, probata & arrepta à mundi Monarchis, eadem conſectaria ruinæ imperii & Religionis Papalii, ſequi, juvat te audire patriâ tuâ lingua loquentem.

Si on pouvoit perſuader les Princes, que la Monarchie, qu'on attribue à St. Pierre eſt une Monarchie imaginaire, cela feroit tout le même effect & auroit toutes les mêmes ſuites, & c'eſt ce qui eſt dificile de leur perſuader, veu le peu d'intereſt qu'ils prenent à examiner cette queſtion, & à lire la deſſus les livres de nos docteurs il ne ſera pas moins difficile de leur perſuader vos hypotheſes, & leur faire reconnoitre que le Pape exerce ſur eux un empire de même nature que Conſtantin & Charlemagne exer-

coient sur les Gaules, & Auguste sur Herode.

1. Ante omnia observo, nihil officere mihi, quod ex tua & mea juxta hypothesi agnita & intellecta à Regibus, sequeretur idem forsan eventus ruinæ Papalis Imperii & Religionis Romanæ, modò constet veritas rei quam imprimis urgeo, nempe, viam seu rationem, Papam, ejusque imperium & Religionem evertendi, instillando Regibus Petri Monarchiam esse figmentum humanum, ducere per longos anfractus circuitus & fluctus, nec tantùm longissimam esse, sed & difficillimam, ut nec facile à Regibus imbibatur, probetur & arripiatur hæc veritas de figmento Monarchiæ St. Petri. Nec intellecta & probata ab illis facilem & promptam suppeditet rationem exsequendi ruinam Papalis imperii: at contra illam veritatem, semel; imo leviter intellectam à mundi Monarchis de Papa possidente imperio in ipsos ejusdem naturæ, quæ est natura imperii, quod terrarum Domini habent in suos subditos, fideles & clientes, uno pene ictu monitionis, & temporis, instillari & excipi debere, certé pronis auribus, eosque accingere acri & lubenti animo ad comparem & consortem imperii expellendum; unde futurum est, ut cum Papæ imperio exulent & Ecclesia & Religio Romanæ, quibus omnis authoritas accedit ab imperio Papæ.

2. Sed hinc liquet non esse juxta difficile persuadere Regibus, Papæ imperium in Reges esse Domini temporalis in ligas & subditos, atque instillare illis Petri Monarchiam esse imagi-

imaginariam ; hinc, inquam, liquet, quòd te fatente ad hoc ultimum instillandum consulenda sint scrinia nostrorum Doctorum, à quorum lectione Pontificii Doctores arcent Reges: nam multò minus poterunt Reges id figmentum humani cerebri ex Scriptura haurire, in qua ipsi Romanenses Doctores agnoscunt non reperiri, nec investigandam Petri universalem Monarchiam, sed in traditione quæ labirynthus est, cui, quam ut se committant Reges ut inde errore exolvantur, potius ducerent in errore & conditione mancipiorum Papæ perseverare.

3. At vix Scriptura consulenda est, multò minus aut Historia, aut traditio Ecclesiastica; imo ne Protestantium libri adeundi ut discant Reges, Papam possidere imperium paria faciens cum imperio Augusti, Constantini, & Caroli Magni in Gallias; & Regem Galliæ, pari conditione instrumenti servitutis Papæ obnoxium esse, quâ Augustus sibi mancipatum habebat Herodem, aut Claudius Cogidinum in Britannia.

4. Quid? quod probatio, quod imperium Petri universale in Ecclesiam Catholicam, sit figmentum humani cerebri, non tollit imperium Papæ in Reges, manente & intacto altero errore longè graviori, nempe commento Potestatis Ecclesiasticæ, inter hæc altè infixo animis Regum, cleri & populorum, & à qua Potestate semel admissa ut de jure Divino, congruenter infertur & introducitur in mundum & Ecclesiam Catholicam, aut Pa-

pa, aut potestas Papalis gemina & germana; ut doceo Epistolâ ad Clarissimum virum Isaacum Vossium. Cum hoc ita sit, posset Regibus futilitas imperii universalis in persona Petri nec tamen injusta occupatio Papalis imperii constare; certé Reges exolvendi sunt errore, & curandi morbo, ubi νοσημα incoeptum est, mox auctum & tandem ulteriùs provectum est: atque mysterium iniquitatis, nec incœptum, nec auctum per introductum in mundum imaginarium Petri (ac proinde nec Papæ) imperium in Ecclesiam universalem, sed per Potestatem vendicatam à Pastoribus in greges Christi; dein Pastoris in Pastorem per πρεξουσιαν Episcopalem: hanc & illam plané consimilem illi Potestati (ut est Magistratûs & Imperatoris terreni) quam hodie Papa sibi vendicat & arrogat in Reges & populos. Ut jam primò exolvendi sint illo errore (Potestatais perperam dictæ Ecclesiasticæ) qui cœpit tempore Pauli. Profectò nec hic error quo exolvendi sunt Reges, nec hic morbus quo sunt curandi, auctum aut incrementum habuit per imperium illud Petri imaginarium, animis Regum & populorum alte infixum, sed per augmentum & exaltationem Potestatis Ecclesiasticæ, ut observat Petrus Sarpius in Historia Concilii Tridentini. Tempus plurium seculorum elapsum est, nempe tertii, quarti, quinti; imo sexti seculi, quibus durantibus sola illa potestas Ecclesiastica caput extulit; nullo certo viro Ecclesiastico ejus caput se præbente sed istius Potestatis ejusque præfecturæ partem assu-

aſſumente unoquoque Patriarcha , eamque ex æquo vocabulis Oecumenicæ, Catholicæ, & Eccleſiaſticæ Poteſtatis inaurante , ut obſervant Socrates & Iſidorus Peluſiota , & poſt eos Petrus Sarpius ; Papa nondum inter hæc ſibi ſeorſim poteſtatem in Collegas & æquales vendicante , virtute illius imaginarii imperii, quod nunc Roma Petro aſcribit, nam demum id imperii imaginarii prætextum ſibi ſumpſit Papa , poſtquam cadente in occidente Imperio Romano , & acciſa Poteſtate cæterorum Patriarcharum (in ſumma, ablatâ Epiſcoporum magnarum ſedium æqualitate) ad ſummum apicem & culmen provecta eſt poteſtas perperam dicta Eccleſiaſtica, cujus tandem Papa caput fontem & originem ſe intulit & probavit. Nam hoc imaginarium Petro aſcriptum imperium , non ante fuit in mundo receptum & creditum , quàm Decretales cuderentur, nempe circa medium noni ſeculi. Cum hic fuerit Ordo aſcenſus ad Papatum per ſcalam Poteſtatis Eccleſiaſticæ (ejuſque prolis, ſeu prælationis Epiſcopalis) non verò per obtentum imperii illius imaginarii Petro , niſi ſerò , aſcripti , planùm eſt primum illum errorem quo ſunt Reges exolvendi , eſſe Poteſtatem aſſumptam à Paſtoribus (ac proinde à Papa) quæ natura non differt à Poteſtate Dominorum temporalium in ſuos ſubditos & clientes.

5. Et cum probatio , quod Jeſu Chriſti, Apoſtolorum & Paſtorum Evangelicorum authoritas in regimine Eccleſiæ , ſit mera poteſtas

testas verbi, persuasionis, in volentes duntaxat se exercens, omnem, aut Papam, aut Papalem Potestatem è mundo tollat, & unâ ruinâ involvat Papæ imperium, & eâdem consecutione, Ecclesiam, religionem, & totum Romanensem & missaticum apparatum; cæcus sit & præjudicio abreptus, qui non videat, longé faciliori & compendiosiori viâ, Papam & totum systema Romanense everti per ruinam Potestatis Ecclesiasticæ, quàm aggrediendo ejus propaginem, qualis est figmentum Monarchiæ Principis Apostolorum; & quâ amputatâ, manente radice Potestatis Ecclesiasticæ, semper inde alter Papa pullularet.

6. Sed nec opus est aleâ plenum, aut quod lectionem aut Scripturæ multam aut ullam Patrum & Historiæ Ecclesiasticæ desideret; nec ultra spatium unius horæ requirat, ut constet Regibus, tum vera ratio Potestatis Pastorum; tum futilitas istius Potestatis quam Ecclesiasticam & spiritualem vocant, & sub cujus fuco Papa sibi imperium terrenum struxit in mundi Monarchas.

7. Sed nec ulterius ex detectione imaginarii imperii Ecclesiastici Petro ascripti, infertur ruina imperii Papalis Religionisque Romanæ, quàm quatenus exolutis Regibus illo errore imaginarii imperii, prodit se Papa terrenum Monarcham, & eatenus Regibus materia est odii & irarum in consortem & socium ejusdem imperii, nec ulterius ferendum, quo tandem vocabulorum fuco tectorio & involucro

lucro ſit obductus, quæ reputatio firmat veritatem noſtri pronunciati, quod vellicas; nempe non proximé per detectionem imaginarii imperii Petro aſcripti allatum iri excidium Papæ, ejus imperio, Religioni & Eccleſiæ ſed per compertam injuſti imperii terreni occupationem in imperio alieno juxta terreno; nam perinde eſſet Regibus, vendicari à Papa imaginarium imperium, & vocabulis Eccleſiaſtici & Spiritualis incruſtari, poſſiderique vi & virtute imaginariæ ſucceſſionis in Petri imperium juxta imaginarium, niſi ſub hoc fuco & tectorio Papa poſſideret imperium in Reges, ut eſt Domini temporali in ligas ſuos & ſubditos; nec quibus res ſpirituales, ipſa religio, & pietas, minus ſunt cordi & curæ, quàm res mundi & imperium ἀνυπεύθυνον, multum refert utrum, nec ne, Papæ imperium Eccleſiaſticum eſt imaginarium, dummodo ultra vocabulorum inania non excurrat, nec Regio more imperet.

8. Sed argumento longé validiſſimo probatur, detectionem quæ fieret Regibus Monarchiæ imaginariæ in perſona Petri, non abducturos eos à Papa, quod tam ubique etiam inter maximos Papæ cultores imaginaria credatur, quàm infallibilitas Papæ, quæ palam à Rege in Gallia & Senatu Pariſienſi exploſa eſt ut Chimericum figmentum, quod de Poteſtate Eccleſiaſtica non credunt, cui congruenter cenſent Papam affigi ut caput corpori.

Atque credo per hæc palam fieri, ſi utrobique

bique futurum eſt, ex tua & mea hypotheſi intellecta, probata & arrepta à Regibus, ut, Papam ejuſque Religionem & Eccleſiam è ſuis finibus arceant, magnum eſſe χάσμα difficultatis inter unius & alterius rei exequendæ rationem; unam facillimos, alteram difficillimos explicatus, habere; quod mihi nunc probare incumbit, minore ſané negotio, quam finem huic Epiſtolæ imponere per hanc clauſulam, quam alté imbibi, tam veritatis eſſe indubitatæ quàm ullum Euclidis theorema: nempe ratione longé expeditiori majorique compendio temporis, operæ, & frugis perſuaderi poſſe Regibus unum illud (quod non intellectum cauſa eſt cur Romana fides Religio & Eccleſia ſtant, perſtantque intra territorium Regum qui Papæ nomen dederunt: at ſemel intellectum everteret totum illud ſeu Papale, ſeu Romanenſe ſyſtema) videlicet Papam reipſâ poſſidere imperium terrenum in ipſorum imperio & jura Regalia exercere, ut ſunt Dominorum in ſubditos ligas, fideles & clientes, ſub fuco Poteſtatis Eccleſiaſticæ; ac proinde eos precariò duntaxat regnare; ratione, inquam, expeditiori dico & affirmo poſſe Reges perſuaderi de veritate illius hypotheſeos, quàm à ſe obtinere ut credant, aut imperium St. Petro aſcriptum imaginarium eſſe, aut dogma aliquod Romanenſe ut eſt Tranſubſtantiatio, Purgatorium, Cultus imaginum, eſſe figmentum humani cerebri.

Omni-

XLIX.

Omnibus modis Excellenti Theologo,

DOMINO

JOHANNI CLAUDIO,

Ecclesiæ Parisiensis Pastori.

Cum in incœpto & progressu istius operis, te pené jugiter in mente & oculis, Vir Clarissimé & humanissimé, habuerim, debes saltem hanc gratiam, singulari affectui quo te, tuas dotes, eruditionem, judicium, orationem, tibi in hac crisi rerum nostrarum, quasi ad triarios redeuntium, & strenuo bellorum Domini, militi, duci, à Deo ad cumulum suffectas; debés; inquam, hanc mihi rependere gratiam, ut respicias ad nostram opellam, in qua conatus sum persuadere, nostris Protestantium Antistitibus, continuò cum Pontificiis confligentibus, & in arenam hanc descendentibus, tibi imprimis illorum Primipilo, ubi requiescendum erit à labore, luctandi cum chimeris, larvis & figmentis humani cerebri, quale est Transubstantiatio, seriò velitis aggredi, adoriri, invadere subjectum reale, quod est Papæ imperium in Reges & populos; aut si juvat perstare in lucta, cum larvis & chimeris, saltem unum vobis desumatis μορμολυκεῖον *& simulachrum, atque vacui capitis figmentum, quo Papa obtegit suum imperium, & quod, Papæ, ejusque im-*

imperio terreno detrahere, esset operæ pretium, & ipsius imperii & unà Ecclesiæ & Religionis Romanæ ruina. Namque demptâ semel illâ personâ, larvâque vocabulorum, Ecclesiæ, Episcopi Romani, Papæ, *tum* Potestatis Ecclesiasticæ & Spiritualis, *quibus imperium Papale fucatur, ut hoc suâ pompâ, robore & divitiis fulgens, coruscans & illustre, gratiam & authoritatem conciliat futilibus quibusque Romanensibus doctrinis, tum ipsi Ecclesiæ & Religioni Romanæ; demptâ, inquam, illâ personâ, corruet & imperium & unà totus doctrinarum Romanensium complexus. Quocirca te imprimis figo & destino, Vir magne, ut accinctiorem ad hanc militiam, quam adorno & paro in Papam: primò illam larvam vocabulorum ei eripiendo: nam vix erit quod secundo loco agas; siquidem semel Regibus & populis exolutis illo tectorio, fuco, mangonio & involucro vocabulorum, eâque larvâ detractâ, non longam Papa moram faciet in alieno imperio: Excutient brevi mundi Dynastæ, Papæ jugum; nec ulterius patientur, ejusdem imperii socium, consortem, imo Dominum: nec tibi longâ hortatione opus erit, ad persuadendum illis unctis Domini, ut se in libertatem asserant, nec velint diutiùs precariò regnare. Jam quemadmodum ad casum larvæ Papalis ruet Papale imperium, sic ad casum imperii, concident Papa, Papismus, totumque systema doctrinarum Romanensium & missatici apparatûs; & unà tua, aut potius Arnaldi Transubstantiatio, patietur lumbifragium, siquidem toti Romanensi apparatui, gra-*

tia

tia & authoritatas accedant ab illo solo imperio Papali, amorem aut terrorem conciliante.

Age, Vir Magne, hunc unum calamum; quem tibi paro & apto, aut potius hoc telum, stringe in Romam & depone hunc inglorium (pene cuiquam præterquam tibi) laborem, cui jam, tanquam saxo affixus es tot annos; nec diutius, hoc pistrinum Plauti volve. Sed, ne otia tua morer, Deum precabor, veneraborque, ut te tantum virum servet, destinetque ad magna, miranda, & fortia, ad quæ video te tanto impetu ferri.

Excel-

L.

Excellentissimo Theologo, DOMINO PETRO DU BOSC, Pastori Ecclesiæ Cadomensis.

Nisi per tuum & Ecclesiæ Cadomensis quæ te efflictim deperit, inflexibilem rigorem, (Vir Præstantissime) hactenus in irritum cecidissent, tot vota, itiones & prensationes Ecclesiæ Parisiensis, quæ omnem lapidem movit, ut te loco, & destinatâ sententiâ dimoveret; non solum nunc te salutarem Ecclesiæ Parisiensis Pastorem, sed & obnixè rogarem, ut operam sociares, cum Clarissimo Claudio, (cujus spe & voto præsumpseram te futurum symmystam & collegam) in subducenda, & æquitate & facilitate nostræ Rationis exequendæ. Jam cum Deus te in hoc proposito firmaverit, ut malis Athenas & Hipponem, in quibus summus, & Theologus doceat, & orator dicat, transferri Cadomum, quam Parisios; liceat mihi appellare ad tuum de nostra oppella seorsim judicium, cujus statera, quam in partem propensior esset, facilius impelleret animum meum, quam cujusquam; usque adeo altè imbibi, te non minus esse intelligentem & æquum judicem, quam

Suadæ

Suadæ medullam : ut qui optimè omnium sententiam ferat de magna conante ; Cum ipse sis omnibus modis Vir Magnus, cùm in publico, tum inter amicos, & in privato vitæ commercio : in hoc demerendis hominibus genitus, in illo doctus & facundus ; dulcis imprimis, qui, vel repugnantes ducat & impellat, qui cum plurimum in fronte, plus in recessu gerat. Nam licèt primo aspectu oculos occupes, non inventura est tui diligens contemplatio quod arguat, & quod non congruat, cum veneranda tui specie : ut pote cujus vitam sanctam, eruditionem reconditam & eloquentiam maximis oratoribus parem exornet, (ut gratior est virtus ex corpore pulchro veniens) decor oris & Majestas vultûs : ad cujus & conspectum & auditum ipsi Reges assurgunt ad indicium plausûs ; nec minus minoribus gratus, obvius & expositus, ut qui cunctis vitæ officiis & hominum ordinibus æquabilis, hoc est, magnus ubique ; eoque major, Christianis illis, qui apud Minutium Felicem, non habitu, sed mente sapientiam præferebant ; nec eloquebantur magna, sed vivebant, quòd & habitu & specie præferas sapientiam, & ejus vim mente retineas : tum magna, & eloquaris & vivas : Cujus monumenta ingenii perinde avidè leguntur, atque pronis auribus audiuntur : Et quæ tam in posterum valescent, quàm hodie sunt celebria : qua in re longè abis à plerisque oratoribus, quorum canorum illud & profluens dicendi genus, cum ipsorum voce extinguitur : nulla meditata à posteris, aut leguntur aut probantur.

Macte his virtutibus & dotibus, Vir Magne, ad nominis Dei gloriam & Ecclesiæ Christi emolumentum & ornamentum; acclerandumque excidium Papalis imperii totiusque missatici apparatus.

Nobili

LI.

Nobili & Reverendo Viro, tum amicissimo capiti, DOMINO DAVIDI PRIMIROSIO,

Pastori Ecclesiæ Gallo Londinensis & Regis Sacellano Ordinario.

NOn habeo, Vir humanissime, tantam de quoquam, quàm de te fiduciam, futurum ut legas meam opellam, vel minus tuo gustui aut sensibus respondentem, imò malam scriptionem, quandiu compertum habeo, te, de numero illorum esse, qui cum Plinio Seniore censent nullum librum esse tam malum, ut non aliqua parte possit prodesse; nam æquius feram adversa judicia, aut tua, aut aliorum de mea opella, si modò inter plura sequiora, unum tibi arrideat, juvetque, nempe quam monstro viam, illam esse quæ teri debeat, ad Papæ imperium personatum evertendum, hoc jugulum esse causæ, quod indico ubi Papa est penetrabilis, tum ex Papæ ejusque imperii excidio, sequi ruinam, cum hierarchiæ Romanæ, tum omnium Papalium Doctrinarum, & quam frustra putes accelerari per confutationem quæ fieret καθ' ἑκάστην illarum, cum unâ detractione larvæ Papalis, concidat imperium Papæ terrenum, & unà to-

tus complexus Religionis Romanæ & missatici apparatûs: quanquam forsan, si non tibi, saltem aliis, videbitur nostra *Ratio*, utut verissima, esse detectionem adversum tempori & præsentis seculi moribus, & quæ non placeat, nec Protestantibus, nec Pontificiis: hos inde futuros longé infensiores in purioris Religionis vindices, ob patefactionem militiæ, quæ uno ictu, nec repetito, Papam, ejus imperium, religionemque & Ecclesiam Romanensem ad terram dare debet: illos verò (de Pastoribus loquor) ægré passures sibi præcipi imperium Ecclesiasticum, quo perinde fuco & tectorio, atque Pontificius clerus sequaciorem habent plebem Christianam, & quæ ut vulgus ignarum æquiùs obtemperat suis vatibus quam Regibus, & cui non est instillandum verba, *dic Ecclesiæ*, non esse magis intelligenda de Episscopis & Pastoribus, quam de Papa; ut nec exolvenda fraude illa pia, quod per locutiones ejusmodi, *sit tibi velut Ethnicus*; *dabo tibi claves*, *quicquid ligaveritis*, & *tollite è medio vestri*, data est à Christo potestas Ecclesiastica, eaque excommunicandi & à sacris arcendi, Pastoribus & Episcopis. Etenim subolet illi sacræ genti, non posse fulcra & tibicines, ut est potestas Ecclesiastica, subrui, quibus Papismi moles fulcitur, quin unà concutiantur columnæ, ubique apud Protestantes imperii Ecclesiastici; quicquid in contrarium ingeram & reclamem, edicamque illis, novam nostram *Rationem*, magis ostentare bellum illis, quàm gerere: nec, si Prote-
stantium

ſtantium Paſtoribus ſuam poteſtatem Eccleſiaſticam, ut ens reale & rem bonam & ſanctam relinquo, minus per ejus obtentum, Papam ſuum in Reges & nationes imperium terrenum ædificaſſe, & ſub eo involutro pari Ratione fucum feciſſe Sacris illis capitibus, quâ ſcelus ſe infert ſub pietatis tectorio: quin ajunt, quamcunque rationem conducere, quæ imperii Papalis & Romanæ Eccleſiæ mænia verberet, diminuat & detruncet: at non quæ ipſam arcem cuniculo ſubvertat: nondum veniſſe tempus, ad eam rationem promendam, obſtantibus etiamnum peccatis, aut noſtris, aut adverſariorum, nec dum ad ſuum cumulum perductis: cumque nondum advenerit tempus præfixum à Chriſto, cum Roma ruet; non eſſe feſtinandum & accelerandum, aut illum adventum, aut ruinam Babylonis myſticæ, per ullam rationem ab hominibus propoſitam, ante id momenti à Jeſu Chriſto conſtituti. Nec (ſi non expectatur ruina Papalis imperii per adventum Chriſti, ſed multò ante) impediendum quominus diutius Papa, ludos faciat orbi Chriſtiano: nec ſtatim è cubili ſuo prodeuntem leporem eſſe comprehendendum, ſed dandam illi poteſtatem, longè latéque expatiandi, priuſquam eum canis venaticus aſſequatur. Adjiciunt, forſan per ruinam Papalis imperii futuram in orbe Chriſtiano converſionem longè funeſtiorem ipſâ Roma & ipſo Papa florentibus; ut res ſunt: dirutum iri æquum pondus trium potentiſſimorum in Europa Monarcharum, quod ſtante

Papa pari libra & momento servatur: non habituros Doctores, seu Pontificios, seu Protestantes, unde otii vitia discutiant per laborem, & studia, molemque librorum, quibus nomen & celebritatem sibi pariunt, & res lautior accedit, tum nationi Typographorum & librariorum, tum maximé genti sacræ, quæ arcté imbibit futurum ut languescat industria Doctorum, & Literatorum intendaturque socordia, si illa nullis præmiis in mercedem rei strenué actæ contra adversarios acuatur: sublatis studiorum præmiis & pretiis, ipsa studia peritura. Atque illa sunt argumenta, Vir eruditissime & amicissime, quæ sanguis & caro suppeditant, ut novæ nostræ Rationis pretium minuatur, deteraturque, sed quibus nullo modo moveor, nec deterreor; quin perstem in bonas spes esse pertinax, futurum ut prosperum eventum habeat: utut sit, malim mihi successum quàm fidem, & animum hujusce Rationis promovendæ, deesse.

Atque hæc familiariùs apud te repono, in spem futurum, te mordicus non inhæsurum omnibus placitis tuorum, à quibus sæpe longius abeo. Nam id spondet, tum usus ille quem habui tui in quo observavi te ante, diu vereri cuiquam rei assensum tuum firmum præbere, quàm sit tibi probè comperta: Tum reputatio tui, quem omnes boni qui te norunt, colunt & amant ut alterum Timotheum, juventâ, ætate, sanctitate vitæ, decorâ & modestiâ cunctatione properum, cujus tamen eru-

ditionis

ditionis celerior, eſt curſus quam ætatis, ut facile ſit præconcipere te non minus in magnum virum, quam in magnum Theologum evaſurum; nec tam largo penu conditorum divitem, quàm judicio acrem: in quo ornando & elaborando, imprimis author ſum, ne priuſquam ad ἀκμὴν ætatis tuæ, & inde ad ſenectutem pervenias, te auferant aliorſum tuæ togæ virorum judicia, deſtinatæque, certæque (certé perverſæ) ſententiæ in quibus obfirmarunt animum, neve magis reformides offenſam proborum, quam factum eſt à reverendis Paſtoribus Diepenſibus, cum non veriti ſunt palam credi ſe in ea ſententia eſſe Poteſtatem Eccleſiaſticam ſub Magiſtratu amico & orthodoxo diſtinctam ~~eſſe~~ à civili, curiis, legibus & judicibus: atque excommunicationem, eſſe figmentum humani cerebri, nec ullâ ſcripturæ authoritate ſubnixam: nec Poteſtatem aut tradendi Satanæ, aut ligandi & ſolvendi intelligendam, de poteſtate à Chriſto in ſolos Paſtores Evangelicos collata, excommunicandi, ſeu conſtringendi, & enodandi. Nam, ni fallor, pridem exolutus es duplici illo tuorum errore. 1. Non tantum ligationem & ſolutionem intelligendam de excommunicatione & abſolutione, ſed & illius ligationis tantam eſſe vim, ut etiam injuſta excommunicatio in terris lata, rata habeatur in cælis. 2. Nec ab injuſta excommunicatione neque à quaquam cenſura & ſententia Eccleſiaſtica dari provocationem ad Magiſtratum etiam amicum & orthodoxum: nam utriuſ-

que erroris alté in vestris Scholis imbibiti possem ad testimonium allegare primarios Doctores reformatarum Ecclesiarum : posterioris quidem Antonium Wallæum,cujus verba pono in Epistola ad generosum virum Guilliel-mum Areskinum , at prioris, alterum in Ecclesia Dei Calvinum , cujus verba sunt. *Hujus ligamenti , quo Pastores Ecclesiæ constringunt peccatores , tanta est vis & certitudo , ut Christus pronunciet , si quid ligaverint Pastores in trrris, id fore ligatum in cælo ; id est, Deum ratum habiturum hanc ligationem ; Potest quidem fieri aliquando, ut ligatio sit injusta : vult tamen Christus eam ratam esse, quamvis sit injusta. Non enim fas est homini qui injusté excommunicatus est invadere sacram cænam,& invitis Pastoribus irrumpere in communionem Ecclesiæ;* Non tamen *id fraudi erit injusté excommunicato nec coram Deo erit ejus conditio deterior.* In his si non es ὁμογνώμων spes es futurum ut in cæteris dogmatibus ea secteris , non quâ itur vulgò , sed quâ eundum est , & quæ pacem cum veritate jungunt , quale est temperamentum allatum â Clarissimo Viro Henrico Moro , in Divinis suis Dialogis , circa illas Doctrinas tantopere explosas, quasi aut Antinomianismum, aut Rigores Prædestinatianorum redolerent , quod quidem si ubique arcté servaretur à bonis viris , magnum momentum haberet ad pacem Evangelicam obtinendam (quàm Dussæus ambitiosé & calle devio persequitur) & conciliandos specie commissos St. Paulum & St. Jacobum, altero di-

dicente nos Juſtificari per ſolam fidem, altero, etiam per bona opera. Nam auguror perpetuum futurum contentionum funem circa hanc materiam, nec unquam Jacobum cum Paulo conciliatum iri, per amicam conſenſionem, quoad ut ſit à Molinæo, Chamiero, & Twiſſo, ſtatuatur Juſtificatio ab æterno, nec quiſquam ulterius Juſtificari per fidem quam quatenus per fidem eſt filius Dei, hoc, eſt novit beneficio fidei, Juſtificationis indici, ſe eſſe filium Dei. Sed longius feror.

Orna-

LII.

Ornatissimo & Doctissimo Viro, DOMINO DANIELI RUSSELLO, *Medicinæ Doctori, Amico singulari.*

POstquam primùm modico usu te novi, & deinceps te altius inspexi, comperi te esse de illis seductis, de quibus loquitur Plinius, in quadam Epistola, qui, cum multa in fronte gerant, plura in recessu condunt. Primo congressu dilexi te, ut virum bonum & probum, mente recta & vivida, pectore candido & niveo, innoxiâ amœnitate: sed mox ubi te penitius consideravi, offendi, vidique in te, magnum animum, pares dotes, ingenii, judicii, & eruditionis: mihique visus es instar venæ metallicæ, cujus fructus non est in summo, sed in imo, pleniùs responsurus alté fodienti: nam quò sæpius mihi est sermo tecum, plus aufero: unde dolendum sit quod tantns Vir, omni liberali doctrinâ politissimus, suâ modestiâ segnitiei propiori, ipse se non norit, nec se in lucem, aut extra limen proferat. Quocirca author sum tibi, ut hoc veternum excutias, nec diutius patiaris tuas dotes contumulari. Sed hancce tui imaginem, dum mente complector, & cujus recordatio grata est, propé excidit quod maximé

maximé ſcribendum erat, nempe de hac opella mea, quam velim te rogatum, ut in manus ſumas legaſque integris animis: quod te facturum eò magis ſpondet, non tam tua noſtri charitas, quam illa ſtatio, quam in hoc mundi theatro ſuſtines, in qua nulla privata utilitas, aut ſtudium partium, tuum judicium, aut excæcat aut obnubilat. Nam ſuppetunt mihi plurimæ rationes, cur cenſeam, futurum, ut de omnibus viris, cujuſcunque ordinis, ſtationis, profeſſionis, diſciplinæ, artis, ſi non Daniel Ruſſellus, ſaltem medicus, æquior ſit judex, non ſolum de æquitate & facilitate noſtræ Rationis exequendæ, ſed & de quacunque gravi cauſa, putà de fide, de tolerandis, qui ab illa, aut tantillum, aut longius abeunt; de authoritate Eccleſiæ, Paſtorum, de diſciplina Eccleſiaſtica; de rationibus, quibus pax in terris in religionis negotio, atque conſenſio, concordiaque iniretur inter diſſidentes à ſe invicem, aut Chriſtianos, aut Proteſtantes: ſuppetunt inquam mihi multæ rationes, cur putem medicum virum cordatum & pium, nec niſi mediocriter gnarum Divini humanique juris, defœcatiori judicio pronunciaturum de hac materia (magis circa fidem quàm de fide) quam quemquam de quocunque ordine hominum; certé æquius quam virum de natione, aut Theologorum aut Juriſconſultorum; certé quam horum qui ſunt ſanguiſugæ humani generis & locuſtæ, à cacodæmone in terras demiſſæ aut immiſſæ ad depaſcendum paſcua orbis terrarum, ad com-

committendum homines inter ſe, ſerendo litem de lite, atque augendam, non, rem Chriſtianorum, ſed advocatorum. Sané, Procopius & Agathias lib. 5. docent Tribonianum, quo Juſtinianus uſus eſt ad jus condendum, ſuam eruditionem ſumpſiſſe ut avaritiæ obtegumentum, mutaſſe leges pro arbitrio, hoc eſt rei familiaris commodo; ideoque leges perplexas ſcripſiſſe, ut interpretationem pro re nata & quò vellet traheret. Idem Judicium, ſi non de viris, ſaltem de judicio Theologorum fero, accedens ad ſententiam Gerſonis, cenſentis in quacunque lite & controverſia de fide, laicum, quam Eccleſiaſticum; Ethnicum quam hunc aut illum, magis idoneum eſſe judicem in lite quaquam, puta inter Judæum & Chriſtianum, tum inter duos de clero homines.

Profectò, tempore Jonathani, fratris Judæ Macchabæi in controverſia circa templum Hieroſolymitanum inter Judæos & Samaritanos, Ptolomæus Rex Ægypti pronunciavit pro jure & æquo in gratiam Judæorum; nec minus Aurelianus Imperator Ethnicus in cauſa inter Synodum Antiochenam & Paulum Samoſatenum, recto judicio adjudicans manſum, ſeu domum Epiſcopalem Domno, non Paulo. In libro qui aſcribitur Vigilio Tridentino Epiſcopo, introducitur Sabellius, Photinus, & Arrius diſputantes circa æternam Divinitatem Trinitatis contra Athanaſium, coram Probo Judice, viro Ethnico, ex ſacra Scriptura, ſecundum quam judicio

Probi

Probi, hæretici causâ ceciderunt. Isque fuit Augustini sensus, viros Ecclesiasticos minus idoneos esse & competentes, ut loquuntur judices, in propria causa, quàm aut laicum aut Ethnicum. In lite contra Fortunatum Manichæum stetit judicio populi Hipponensis, idemque præstitit anno 400. contra Felicem Manichæum: & anno 428. in causa contra Maximum Episcopum Arrianum: at anno 410. Augustinus & Comes Pascentius de suo dissensu retulerunt ad judicium Laurentii, viri de natione Laica.

Sed memorabile est quod narrat Epiphanius anno 512 de Archelao Episcopo orthodoxo & Heresiarcha Mane, se sistentibus judicio quatuor virorum, sectâ & professione longé à se invicem & à Sacerdotali functione abeuntium: namque unus de illis, Marsippus nomine, erat Philosophus Ethnicus; alter, Christianus quidem, sed Medicus; Tertius Ægialus Grammaticus; quartus Cleobulus Sophista. Nec minus quod Jacobatius Cardinalis lib. 2. de Concilio, articulo. *6.* refert & imprimis notat & urget de duobus Ethnicis Cratore Philosopho & Zenosino senatore, viris integerrimis, ad quorum judicium appellavit Synodus Episcoporum, præsentibus & consentienbus Constantino Magno & matre Helena in controversia, utra religionum potior esset, Judaica an Christiana. Optatus quidem Milevitanus contra Parmenionem recusat judicium Ethnici & Judæi, at non plus tribuit judicio Christianorum (etiam in re sua) affirmans apud

apud illos perinde, veritatem ſtudiis impediri.

Jam ſi in lite inter Chriſtianos ut, ſunt Pontificii & Proteſtantes, aſſumendus eſt potius in judicem laicus quàm unus de clero, Ethnicus quàm Chriſtianus, iniquius multò judicium expectandum eſt à Papa judice, penes quem minimé omnium ſunt conditiones judicis ἀδεκάστου, cum ſit ſupra omnes mortales præjudicio & veneno ſuæ cuique ultilitatis correptus & corruptus, nec minus doctrinâ & vitâ, & plerumque juris Divini & humani rudis: id de ſe fatente nupero Papa Innocentio X. ad quem relatum eſt de controverſia inter Janſeniſtas & Jeſuitas. *Theologia*, (aiebat,) *non è la mia profeſſione; no ho mai ſtudiato la Theologia.* Referente doctore de Sancto Amore in ſuo Rationario, & affirmante idem Cardinali Ubaldino, *il Papa non è Theologo, non è la ſua Profeſſione, è legiſta.* Quid, quod canone *quod ſuſpecti*, Gelaſius & Nicolaus I. affirmant ſuſpectos & inimicos minimé debere eſſe judices, nec teſtes, eorumque judicium repudiandum antequam lis diſceptetur: in quam rem ſe tuentur authoritate Juſtiniani ut majori.

Et revera ſemper iniquius habitum eſt judicium Paparum, ut Zozimi, Bonifacii & Celeſtini in cauſa Appiarii, Pelagii II. in crimine duorum nefariorum Epiſcoporum, Salonis & Sagittarii, quos recto judicio Concilii Lugdunenſis damnatos abſolvit & reſtituit; tum Nicolai I. in cauſa Rothardi Sueſſionum Epiſcopi

copi & judicio Synodali ; ut facinorosi, depositi: sed imprimis Leonis I. Paparum, ut volunt optimi, cujus perversum judicium in vexando & damnando viro innocuo & Sancto, Hilario Arelatensi, graviter Godellus & ante eum Baronius reprehendunt; hic quidem anno 465. §. 84. ubi fatetur *sæpe evenire ut aures Paparum occupentur falsis criminationibus, & Papæ persequantur innocuum; etiam dum justa facere sibi proponunt.* Quibus verbis plané authoritatem judicio Papali abrogat: cujus perinde iniqui judicii, saltem minoris authoritatis quàm est laicorum judicium atque ejusdem Papæ Leonis, luculentum habemus exemplum in actis Synodi Chalcedonensis, in quibus legitur judicium pronunciatum à viris illustribus qui in eo Concilio vices Imperatoris obibant, in lite inter Bassianum & Stephanum de uno Episcopatu contendentes longé æquius visum à Patribus Concilii, quam Leonis, qui Bassiano favebat, rité censentibus viris illustribus neutri Episcopatum deberi.

Sed nec à Synodis, seu Papalibus, seu Evangelicis, expectandum est æquius judicium, aut de fide, aut de ratione concordiæ inter Christianos ineundæ; cum in illis cœtibus, ut loquitur Gregorius Nazianzenus, non pietas, probitas, studium æquitatis, pacis, locum habeant; non respectus disparis sapientiæ, prudentiæ, eruditionis, & ejusmodi Dei, naturæ & artis munerum, quæ sæpe plus in uno vigent, quàm in centum aliis

capi-

capitibus: sed ambitio, ambitus, factio, æquale jus omnium; (quo certé nihil est inæqualius,) tum major pars suffragiorum quæ sæpe ad peiores accedit; vox unius forsan canora, profluens, acris, adeoque facilius cæteros infirmioris aut frontis aut eruditionis in suam sententiam trahentis. Namque in omnem pene Synodum cadit pronunciatum Luciani, de omni coetu togatorum, quorum æqualis est authoritas, libro de artibus dolosis fori; cujus verba hic ascribam ut à celebri interprere *d'Ablencourt* posita sunt.

Les plus grands criars, ont le plus grand avantage dans telles assemblées; parce que ceux qui n'y entendent rien, qui sont toûjours le plus grand nombre, jugent des choses par l'exterieur, & donnent cause gaignée au plus resolu.

Nec juvat ad æquius judicium, si Synodus circumagitur ad nutum unius, ut est Papa, aut potestas aliqua secularis: nam & in ejusmodi Synodis dicendum, non tanquam in πολιτείᾳ, Christis sed in fæce ultimorum seculorum; & imposita est necessitas assentiendi non sapientiori, sed acutiori gladio accincto. Ejusmodi coetus acuté perstringebat Piso apud Tacitum, hisce verbis ad Tiberium, *quo loco censebis Cæsar: si primus, habebo quem sequar, si post omnes, vereor ne imprudens dissentiam.*

Jam si non est expectandum æquius (imo minus æquum) judicium à coetu Theologorum, quàm à coetu Medicorum; si etiam Ethnicus quàm Christianus, laicus quàm quis-

quisquam de sacro ordine, Medicus, Philosophus & grammaticus, quàm Episcopus, æquiores semper habiti sunt judices inter dissidentes religionis causâ, mihi imprimis, eligerem, Medicum, ut virum minimé omnium præjudiciis correptum & corruptum; tum nomine, aut medici aut medicinæ, quæ nulla societate, aut disciplinæ, aut beneficii, commodorumque sperandorum annectitur aut Theologo, aut Theologiæ (certé non metu à ferula Ecclesiastica ei obnoxia est) tum etiam causâ religionis, cujus vulgò volunt (sed præter rei veritatem) medicos esse securos & incuriosos: nam si hoc est verum, imo si Ethnicis accensendi sunt, tantò magis sisterem eos judices idoneos dirimendis litibus, quæ Christianos & fratres inter se collidunt. Nam cum totus mundus exerceat Histrioniam, nihil usquam sit come, simplex, sua cuique utilitas, amor & reverentia cujuscunque rei, quæ est potens, dives, & in excelso posita, abducat à bono, recto & vero optimos quosque de quacumque sorte & statione; censendum est illorum judicium maximé corrumpi, quorum amor, aut commodorum mundanorum, aut authoritatis propriæ, efficit, ut in hanc potius quam in illam partem propendeat: hinc videas neminem sine hoc vitio suæ cuique utilitatis nasci, non Reges, non subditos. Hinc videas in optima republica sub optimis Regibus & Patribus patriæ, diversa semper esse studia Regum & populorum; his pro libertate, illis pro imperio decertantibus;

qui cum nolint quemquam lædere aut occidere, posse volunt. At videas inter subditos, cum pauci & boni arctè & piè illud teneant; à Regibus, nec asserendam, nec vindicandam religionem per supplicia: nec à subditis, armis defendendam & tuendam, nec, nisi patientiâ & morte: videas inquam plures, aut specie pios decurtare Regia jura, aut procul abeuntes à pietate & mundanis voluptatibus addictos eadem jura ampliantes, *ut infinitam Regiæ Majestatis potestatem agnoscant, qui infinitam Divini numinis potentiam non agnoscunt.* Videas hinc gentem sacram omnibus scripturæ locis, quæ de clavibus, de potestate ligandi & solvendi agunt, & jubent lites inter fratres deferri ad Ecclesiam, id dare interpretamenti quod suæ authoritati velificetur: illinc nationem laicam contrario intellectu, jugum Ecclesiasticum detrectare: videas nationem jurisconsultorum, advocatorum, procuratorum, & eorum qui forum sectantur, omnem religionem insuper habentes, largientem Ecclesiastico ordini suam potestatem, curiasque spirituales, unde litium & advocationum major seges & ingens lucrum accedit causidicis: tandem, cum nihil sit verius quàm dictum Salviani lib.3. de gubernatione Dei, *præter paucissimos quosdam qui mala fugiunt, quid est aliud omnis coetus Christianorum quàm sentina vitiorum?*

Hæc cum ita sint, ut non nisi paucissimi sint in hoc mundi theatro vitâ & judicio incorrupti; mihi in dirimenda quaquam controversia

troverſia diſpicerem illorum judicium, (utut perinde iniquum in re propria) quod minus à ſua cuique utilitate abducitur à recto & vero, in re quæ in diſceptationem venit: in qua depoſcerem potius Medicum quam Theologum aut Juriſconſultum, uti in Ratione à Duſſæo & aliis propoſita, quatenus poſſent omnes Chriſtiani in unam fidem concordare & confluere, tum maximé Pontificii cum Proteſtantibus, & hi inter ſe commiſſi componi? quis modus foret optimus tolerandi aut Hæreticos aut diverſa, imo non prava ſentientes, vel per juſſionem Poteſtatum ſecularium; vel per aliquam & mutuam charitatem & συγκατάβασιν populorum? Profectò nunquam gens ſacra accommodabit aures rationi à Duſſæo propoſitæ; non quod illa ratio, pravo & mutuo conſenſu veritatem premat; ſed quia ubi habet faventes Poteſtates ſeculares, neminem à ſe diſſentientem fert, ſed pro Hæretico habet, vexat, affligit, infenſiori, diriori, & iniquiori animo, quàm ab Ethnicis quibus aliqua lux, aut æquitatis, aut humanitatis affulſit, factum eſt: cujus rei luculentum habemus exemplum in Ithacio, Idacio, & cæteris Epiſcopis (uno Martino Sancto viro Turonenſi Epiſcopo excepto) qui primi, cauſa & authores fuerunt horrendi carminis, & legis gladio aut flammis ſtatuendi in Hæreticos, inter hæc mitiores animos gerente Imperatore Ethnico, de quo ſic loquitur Sulpicius, Dialogo III. *Maximus Imperator, alias ſanè bonus, niſi depravatus con-*

filiis sacerdotum; à quibus Pontificiorum & Protestantium antistites acceperunt, non in legem, sed in naturam, Hæreticos, vel supremo supplicio afficiendi, vel bonorum jacturâ, exilio, & capitis diminutione mulctandi. Quæ diritas & immanitas, cum plures abstrahat de gente laica à Romana Religione, non mirùm ubi eandem conspiciunt sævitiam in Protestantium Pastoribus quod, sequius de reformata Religione, imò de omni censeant, cujus rectores miram & novam rationem invenerunt sociandi sanctitatem Apostolorum, cum feritate Ethnicorum: nam eo nomine apud Principes viros de gente laica vapulat illa sancta reformatio, cui sunt innutriti, ut causa dubiæ sanitatis. Nam nihil attinet recensere lanienas in Protestantes patratas à Pontificiis, incentoribus Ecclesiasticis viris, cum pené paria fecerint Protestantium Pastores in damnandis Serveto, Castalione, & aliis; dum omni pæne ævo gens laica (non solum Maximus Imperator Ethnicus, sed & Imperatores Christiani, ut Constantinus, Jovinianus, Theodosii, Martianus, Valentinianus, Gratianus, Senatus Parisiensis,) semper æquior fuit gente sacra, seu Pontificia, seu reformata: quæ ut se præbeat recti pervicacem sibi pro Symbolo sumit: *in causa Dei nihil est largiendum*. Cæterum istius modestiæ & lenitatis exempla, præ uno quod exhibuit natio sacra, mille suppeditant laici de omni ordine, imprimis Imperatores Christiani, quorum agmen ducit Constantinus Magnus, Epistolâ ad

Alexan-

Alexandrum Alexandrinum Episcopum (Socrates lib. 1. c. 4.) professus se in ea esse sententia, posse dissentientes in fide se mutuâ concordiâ tolerare ad exemplum Philosophorum Ethnicorum placitis à se invicem abeuntium, servatâ tamen amicâ consensione, ut refert Eusebius in vita Constantini lib. 2. c. 67. Par æquanimitas reperitur in Joviniano Imperatore, quem Themistius Philosophus Ethnicus orat. 12. testatur in ea sententia fuisse, posse stare ubique studium sanctitatis cum variis sensibus circa fidem. Certé laudatissimi Principes, tantum abest, ut dissidentes sectis affligerent & vexarent, ut non solum impunitatem largirentur, sed & sæpé leges ferrent, quibus coetus eorum ordinarentur. Constantinus, Constantius, Valentinianus, Valens, & post hos Honorius & Arcadius, Synagogis Judæorum eadem jura tribuunt quæ Christianorum Episcopis. Quin in codice Theodosiano legimus Constantinum Magnum, etiam novem annos post celebrem illam visionem, post tot victorias, quas acceptas referebat Christo, & sacro sancti nominis professioni, legem tulisse circa modum exta consulendi & scrutandi, & ordinandas divinationes Augurum & Aruspicum.

Longum esset repetere veterum Christianorum temperamentum ante Priscilliani tempora, (quibus demum cœpit gens sacra sævire in hæreticos,) in tolerandis & cum omni animi lenitate suscipiendis diversa sentientibus: quod quidem Eusebius ait observatum ab Anicetis, Polycarpis, & ejusmodi, tum ab Ire-

næo culpante in Victore rigorem in Orientales, & à Cypriano in Concilio Carthaginensi. *Superest* (inquit) *ut de hac ipsa re quid sentiamus proferamus, neminem judicantes, aut à jure communionis si diversa senserit, amoventes.*

At nostris temporibus, summus Vir de gente laica, graviter hanc animi moderationem commendat, Gerardus Johannes Vossius in tolerandis Hæreticis & superstitiosis, qui sola, ut loquitur, opinione peccant; atque ponendos potius vult inter fanaticos quàm facinorosos, urgens imprimis illud Lactantii (in Epistolam Plinii ad Trajanum de Christianis pagina 88, & 89;) *nihil est tam voluntarium quam religio*; & subjicit, *Aberrautes igitur non ferro sed* πειστικῶς, *gladio nempe Dominico, amicis colloquiis & æquabili jure in rectam viam reduci debent. Sic sensit quoque B. Martinus, qui in Ithaco hoc detestatus est; quod author fuerit, ut Priscillianus capitis supplicio afficeretur, uti notum è Sulpicii Severi sacra historia, libro 2. & Dialogo 3. cap. 15. quin idem lib. 2. historiæ, in iis qui Christiani cum essent, sic in Hæreticos sævirent, Antichristi notam agnoscebat. Potius igitur audiri debet B. Chrysostomus, cum in Epistola ad Timotheum scribit pro his* εὔχεσθαι δεῖν, οὐ διώκειν, *preari oportere non persequi.*

Atque his puto confici, si Vir Princeps omnis literaturæ de natione quidem laica, sed tamen, tractans Theologica aliis, cum pæné totâ vitâ, tum maximé cum præfectus esset illustris Collegii Theologici Lugduni Batavorum, æquius de istis judicat quam quisquam-

quam-

quam de ordine Ecclesiastico, multò magis inter laicos Medicum qui Theologica non attingit aliquo professionis jure, nisi Christiani, futurum æquiorem judicem controversiarum Theologicarum. Cæterum hic non est animus instituere comparationem functionis sacræ ad medicam, nec virorum qui hanc sustinent ad sacri Ministerii viros, quos novi longé, ut numero, sic sanctitate muneris, tum juris Divini scientiâ & usu antestare medicis; sed tantum edocére, virum, nec odio nec amore in partes aut causam aliquam religionis, nec beneficio aut injuriâ cuiquam de ordine Ecclesiastico notum; cordatum tamen, probum & integrum, tum gnarum juris secundum quod pronunciandum est; æquiorem futurum judicem in religionis negotio, & re quaquam controversa inter Christianos, quàm aut Papam, aut Pastorem Evangelicum; imo quam Synodum Episcoporum & virorum Ecclesiasticorum, quibus aut Religio Christiana, aut aliqua, certaque, est cordi; ac proinde in Ethnicum quàm Christianum, Judicis æqui partes & conditiones quas recensui, potius cadere, ut de viris ex æquo Christianæ Religionis addictis, in laicum potius quam in virum Ecclesiastici ordinis; & de laicis imprimis in medicum, ut longius dissitum à partium studio.

Profectò quod Cornelius Mus Episcopus Bipontinus (*in Epist. ad Rom. cap.* 14.) dixit *ut ingenuè fatear, plus uni summo Pontifici crediderim, in eis quæ fidei mysteria tangunt, quàm mille Augustinis, Hieronymis, & Gregoriis,* lon-

longé potiori jure aptarem rei quam præ manibus habeo, hoc dicto, me uni medico, ut *Coxio*, *Goddardo*, *Lowero*, *Rugelio*, &c. plus crediturum, in illis de quibus judicium ferri velim, quàm mille Augustinis, Hieronymis, & Gregoriis; imo quam mille Juellis, Davenantiis, Usseriis, Dallæis; non eo nomine quòd illi medici sint ingenio longé acerrimo & subactissimo & intelligentiores rerum quæ jugiter teruntur à natione sacra; sed quia sunt Medici, adeoque de ordine virorum, qui minimé omnium studio partium, suâ cuique utilitate & præjudiciis sunt excæcati & abducti à vero, bono & æquo: ut si de omnibus in religione controversiis, standum esset, putà in Anglia, judicio cujusquam coetûs virorum, is potius esse deberet Collegium Medicorum Londinensium, quàm Convocatio cleri Anglicani, nisi Sapientissimus Rex mallet id judicii permittere Regiæ Societati, tantò æquiori futuræ, propter aliquot Medicos, illustri illi virorum choro admixtos. Sed te diutius distineo, quàm in limine Epistolæ constitueram. Vale plurimùm.

Or-

LIII.

Ornatissimo & Doctissimo Viro; & amicissimo capiti, DOMINO PETRO BROCASIO.

F*Actum est, Amice, postquam nomina virorum ad quos scribo typis excusa essent, & antequam Typographus prelo suo subjecisset quinquagesimam tertiam Epistolam, ut is cui destinata erat supremum diem obiret: Jam cum non debeat expleri hic numerus Epistolâ ad eum qui vivere desiit, & integrum sit, alium reponere, qui in demortui locum succedat, tu statim animo obversatus es planè idoneus. Nam & ante hunc diem, si succurrisset tuum prænomen, quod hodie coram mihi sufficis, nunc id legeres in Catalogo eorum, quos mihi deposco hujus opellæ lectores; nec demum tibi hanc exararem Epistolam: testem sanè, non solum fiduciæ quam habeo tui judicii de meo Jugulo causæ, sed & amoris quo te prosequor; tum pretii, quo Te, tuas dotes, pietatem, pectus candidum, morum elegantiam, ingenium subactum, & eruditionem in literatura, cum exotica, tum maximè sacra, Linguaque Hebraica, Græca, & Latina reconditissimam, æstimo: cujus luculentum specimen nobis novissimè exhibuisti, in opere (quo aurum non est pretiosius) Ricardi Cudworth, viri longè doctissimi, quod Latinè interpre-*

terpretatus es, hanc operam te rogante summo viro Henrico Justello; in quo miratus sum tui ingenii δεξιότητα, non inscius quàm sit dificile interpreti alieni sermonis flumen pari facilitate consequi, & sensus aut pressos, aut intricatos sic reddere, ut nec sententia mutetur, nec laxetur junctura, nec obtundatur acumen, nec nitor obsolescat. Macte hac virtute, & hoc praeludio enitere ad majora.

Ad

LIV.

Ad Reverendum Virum & Amicum Veterem, Pastorem Ecclesiæ, quæ Augustæ Veromanduorum colligitur.

UBi nomen non ſuccurrit, inquit Seneca, Dominum ſalutamus; id ago in præſens, Ornatiſſime & Doctiſſime Mettayeri; nam ſi tam innotuiſſet prænomen quod tibi in ſacro Baptiſmi lavacro datum eſt, quam cognomen eſt compertum, non demum conſtituiſſem compellare & in extremis collocare, quem inter Principes habeo, amo & colo: quem alté inſpectum expertus ſum virum acerrimi judicii; ingenio & memoriâ, ut eruditionis penu divitem, & per illum uſum, quem, aut modicum, aut multum tecum habui, ſummâ erga me, ſeu in adverſis, ſeu in proſperis Charitate: certé pietate ſua ſincerâ, ac vitæ ſanctæ exemplo mihi prælucentem conſuetudine ſuaviſſima, mæſtum recreantem, & quem ſi effuſior fuiſſem gaudio, ſua ſeveritate decora repreſſiſſet: quem denique comperi, qualem mihi in extremo vitæ actu, qui prope eſt, exoptarem, mihi aſſidentem, me hortantem, erigentem & ſólantem. Sed antequam ex hac vita diſcedo, lubet

Iubet tuæ, seu cognitioni, seu reputationi subjicere quinque veritates quibus tanquam legatis, (hoc est, nostrî recordatione) te nunc & postremùm prosequor.

1. Quod omnium hominum Christiani, omnium Christianorum Protestantes, omnium Protestantium illi, qui discriminantur vocabulis, (atque eo nomine passim vapulant) quæ denotant sanctiorem & puriorem religionis & pietatis professionem; sunt altioris intellectûs, intelligentiores Divini humanique juris, ratione & sensibus validiores, moribus castigatiores, humaniores, civiliores, commodiores & maximé insistunt viam quæ ducit ad æternam beatitudinem.

2. Quod vinculum, quo etiam altioris intellectûs viri in Ecclesia Romana, Papæ ejusque religioni illigantur, non est cognitio aut conscientia veritatis, aut amor religionis, sed veneratio imperii Papalis, vel suo fulgore pompâ & robore excæcantis oculos mentis & corporis, gratiamque & authoritatem conciliantis futilibus quibusque Romanensibus doctrinis, vel suis divitiis & commodis devincientis, etiam Papæ infensissimos; in summa, est sua cuique utilitas.

3. Quod omnium illusionum, fraudum & mendaciorum, quibus, aut Papa, Reges & mundi Monarchas circumscribit, fallit, decipit & in obsequio continet, aut hi adnectuntur Papæ & Religioni Romanæ, id longé sit præcipuum, quod imperium Papæ terrenum prohetur

betur illis, & commendetur sub fuco & larvæ vocabulorum Ecclesiastici & Spiritualis.

4. Quod non datur expeditior ratio Papam, ejus religionem & Ecclesiam evertendi, quàm dejiciendo Papæ imperium terrenum, quod sibi struxit in Reges & populos.

5. Quòdque statim concidet & ruet sine sanguine & armis, & unà totum systema religionis Romanæ, simulatque Papæ erepta fuerit larva illa vocabulorum, quibus obducitur & incrustatur illud imperium.

Nam semper (& hæc quoque una est veritas quam velim te arctè tenere,) Papa per larvam, fucum & ambiguitatem vocabulorum, incœpit, auxit & ad culmen provexit suum imperium terrenum, deflectens exempli gratia vocabula authoritatis, *Potestatis Ecclesiasticæ, Cleri, Papæ, sanctitatis, Episcopi, Presbyteri, Ecclesiæ, sacrificii, indulgentiæ, pœnitentiæ, & traditionis*, à propria & primæva significatione, ad sensum & intellectum qui Papalibus utilitatibus inserviat, ut fuit ædificare imperium in Reges & nationes.

Cum enim Potestatis spiritualis intellectus olim esset illius quæ per ministerium Evangelicum transfert à potestate Satanæ ad Deum, hodie sumitur pro Imperio Papali.

Cum viris illustribus Ingenio, & eruditione conspicuis Philosophis, Jurisconsultis, Medicis, Mathematicis, Architectis, Geometris, pictoribus, multò magis Pastoribus & Episcopis, sua semper constiterit authoritas,

sed

ſed quæ omini Juriſdictione coercenre & cogente caret; qualis fuit Evandri apud Livium qui Latinos regebat authoritate magis quam imperio; hodie authoritas, Papæ, Epiſcoporum & cleri Romani deſiit eſſe Authoritas Apoſtolica, quæ neminem ad obſequium cogit aut trahit, niſi volentem; & commutata eſt in Poteſtatem Magiſtratûs, quæ etiam in nolentes ſe exerit.

Cumque vocabulum *Papæ* nomen eſſet promiſcué, aut ſumptum, aut datum, poſtmodum detortum fuit à prima ſua ſignificatione, & deſignavit, non quemvis Epiſcopum, ſed Principem & Monarcham Eccleſiæ Catholicæ.

Cumque gravi abuſu, vocabulum *ſanctitatis*, quod Soli Deo debetur, promiſcué omni Epiſcopo daretur: quin Gregorius I. auditores ſuos compellaret voce *ſanctitatis*, longé graviori, abuſu, blaſphemiæ quam comitati propiore, ſoli Epiſcopo Romano tribuitur.

Cumque vocabulum *presbyter* inſinuaret virum ætate & authoritate gravem, ut eſt Paſtor Evangelicus, cui præcipué incumbit vacare Doctrinæ, Orationi & precibus, hodie inſigni depravatione idem eſt ſub Evangelio *presbyter*, quod ſub lege erat ſacerdos aut *ſacrificus*.

Et cum vox, *cleri* 1 Petri cap. 5. ſumeretur pro fidelibus Chriſtianis, hodie accipitur pro ſolo ordine Eccleſiaſtico.

Sed nunquam fuit major abuſus vocabulornm quam *Eccleſiæ*: quæ vox nunquam, nec in veteri Teſtamento deſignavit ſeparatum corpus

corpus Jurisdictione legibus & præpositis à republica, nec in sacro codice significavit coetum aut sacerdotum aut Pastorum: neque subjectum est magis idoneum, quatenus Ecclesia & coetus fidelium & Christianorum, quod leges jubeat, authoritate & legis lationis & Jurisdictionis, quam coetus grammaticorum aut fabrorum: cujus veritatis vel solitariæ reputatio, nisi mundus præjudicio esset abreptus, & Papam & Potestatem Ecclesiasticam totumque Romanensium doctrinarum complexum tolleret.

Cumque Episcopus tempore Pauli idem esset quod *presbyter*, senior, & *pastor* Evangelicus, cujus ἐπισκοπὴ & προστασία esset in Ecclesiam particularem, in eo vocabulo lapsa consuetudo, deflexit de via, cum desiit significare Pastorem Ecclesiæ, & usus obtinuit ut acciperetur pro Pastoris Pastore, ὑπεροχὴν habente, non in Ecclesiam particularem, sed in Collegas: unde Tyrannis sensim irrepsit in Ecclesiam, & per eum nominis abusum facta est scala per quam ascenderetur à Presbyteratu ad Episcopatum, ab Episcopatu ad Archiepiscopatum, & sic porro præstructim ad Papatum. In quam rem, si bené memini, succurrit, cum esses in Anglia, & ad eam peritiam linguæ Anglicanæ pervenisses, ut Biblia insulæ vernacula intelligeres, te interrogâsse me, cum omnes reformati Genevenses, Galli, Itali, Belgæ, Helvetii, qui eam Episcopalem προστασίαν, aut non admittunt, aut non credunt esse de jure Divino, non declinaverint Acto-

rum

rum 20. v. 28. vocabulum ἐπισκόπους tanquam pugnans cum sua Pastorum æqualitate, interpretari *Episcopos*: unde fiat quod, è contra, authores versionis Anglicanæ, cæterùm addictissimi prælationi Episcopali, abstinuerint ab illo interpretamento vocis ἐπισκόπους per *Episcopos*: sed posuerint *overseers*, *inspectores* ad quod interrogatum, non succurrit me tibi reposuisse quod nunc alté sedet animo meo, nempe, cum totum Sermonem Pauli vicesimo Actorum capite, tum vocem ἐπισκόπους à vindicibus prælationis Episcopalis, per *inspectores*, at ab ejusdem eversoribus per *Episcopos* versam, illustre esse documentum quid statuendum sit de illa προστασία: namque cum primi nihil sibi metuerent à voce ἐπισκόπους, quam sciebant promiscué in novo Testamento sumi pro quovis Pastore Evangelico, illam audacter usurpaverunt: at contra cum alii probé novissent & animadverterent illam vocem militare adversus suam προστασίαν, quandoquidem constituat ἐπισκοπὴν non in Presbyteros sed in Ecclesiam particularem, refugerunt plus morte & angue legi à populo illum qui pascit Ecclesiam, propriâ locutione dici debere Episcopum: unde subit mirari quod qui, capite primo Epistolæ ad Titum versu 7. dicitur græcé ἐπίσκοπος non vocetur ab illis Anglicé *inspector*, nec aliqua stropha inventa fuerit per quam disertis verbis legeretur à populo patriâ linguâ, si quam habuit Titus προστασίαν in Pastores Evangelicos, illam non fuisse Episcopi in Presbyteros, sed Archi-

episcopi

episcopi in Episcopos; quando quidem ordinatus à Tito, signanter commate septimo nominetur Episcopus.

Possem in cæteris vocabulis; ut Sacrificii, indulgentiæ, poenitentiæ, traditionis & longé pluribus pergere, docendo rem Romanam, per fraudes, tectorium & fucum vocabulorum, incœptam, auctam, & ulterius provectam; tum etiam nunc stare: nam & vocabulorum incantamento, si non illo, saltem alio, atque tyrannide & consuetudine alté mentes obsidente; Protestantium Antistites sunt decepti & ægri: nec te eximo de eorum numero, qui in pluribus tendunt, non quà eundum est; sed quâ itur; nisi longé sis mutatus ab illo qui eras Oxoniæ, ubi nondum exueras errores circa fraudem illam piam potestatis Ecclesiasticæ & excommunicationis, sed premebas vestigia virorum tui ordinis qui te antecesserunt, rationemque insistebas eatenus tuo judicio bonam quia tritam à tuo præceptore, semper aliquid indulgens affectui illi quem Galli & Angli vocant *Interest*. Nam tibi nunc edico, quod fusius persequor capite sexto hujus opellæ, totum mundum exercere histrioniam, nihil usquam come, nihil simplex; optimos quosque sua cuique utilitate & præjudiciis excæcari, imo rapi & abduci à vero, æquo & recto; pertinaciâ, gratiâ, utilitate privata, authoritate illorum qui sunt, aut ditiores, aut in celebritate, quandoque imitatione antecedentium judicium corrumpente: atque maximos viros de gente sacra

olim & nunc; hinc Augustinos, Chrysostomos, Usserios, Davenantios, Hallos, quod aut in Episcopatu essent, aut eum sperarent, fuisse vindices prælationis Episcopalis, aut non nisi cunctanter aut reluctante animo, æqualitatem Pastorum de jure Divino admisisse; illinc verò Hieronymos, Reynoldos, Dallæos & ejusmodi, aut in Presbyteratu obstinaté permanentes, aut extra omnem spem, assurgendi ad Episcopatum, arcté & constanter pro æqualitate Pastorum stetisse. Nam videas eosdem viros pro modo superantis alicuius privatæ rationis, modò ad hanc, modò ad illam partem inclinare & propendére; deserere quod probaverant, & probare quod deseruerant; & sic alternare judicium de alienis laboribus & sententiis, ut quod uno est foetus alti, acris & subacti judicii & recta sentientis, alio tempore sit partus obtusi ingenii & hebetis & à vero abeuntis. Expertus loquor cum enim ante triginta annos in lucem edidissem Epistolam sub nomine Irenæi Philadelphi, ejusque Apologiam, quæ paulò post prodiit, & me continuissem intra argumentum quod congruebat sensibus Pastorum in Gallia & Belgio, imo Presbyterianorum in Anglia, nec horum & illorum rationibus officiebat, quale erat ἰσοτιμία Pastorum; mirùm quo plausu ab illis ex æquo exceptæ fuerint, & eo nomine author earum laudatus ab ingenio, judicio, eruditione, & in tractanda illa materia dexteritate; additis hortationibus ut pergeret quo pede cœpit tot munera Dei excolere & in apertum

pro-

proferre. Possem de ea re ad testimonium allegare Langlæos, Bochartos, Blondellos, Pastores Parisienses: tum de eodem ordine viros Principes, ut Andream Rivetum in Belgio, qui alteram editionem Epistolæ ad Renatum Veridæum procuravit, imo locupletavit passim, aliquo auctario, Samuelem Maresium Groningæ; Alexandrum Morum Genevæ, qui Apologiam iteratò curavit edendam, & insigni carmine prosecutus est: Cæterum de Apologia illa sic loquitur venerandus senex Langlæus.

J'ay receu estant à Gaillon à vendange vôtre excellent livre, qui m'a tellement agrée, que nonobstant le tabut de cette saison, je n'ay pas laisse de le lire. Je l'admire en toutes ses parties, & loüe Dieu de ses benedictions en vôtre endroit, qui vous â fait exceller en cet ouvrage. J'advoue que j'ay esté surpris, quand tout d'un coup je vous ay veu grand Theologiem, & manier ces matieres avec tant d'adresse & suffisance. Mais je vois bien qu'en toute la couvée de Monsieur N. il n'y avoit point de rebut, & qu'en vôtre personne la pierre que les edifiants rejettoient, à esté mise au principal endroit du coin, & que l'esprit de Dieu souffle où il veut. Et paulò post, nam prolixior est Epistola & effusior in laudes. *Je prie Dieu qu'il vous benie & conserve à son Eglise, en faveur de laquelle je vous exhorte de mesnager vos excellens talents.* Et præter unum quod culpat, quod falsi suspectem ὑποχρεφὴν 1 Epistolæ ad Timotheum, cætera impense probat, *tout le reste*

ste m'a fort satisfait, & pour le stile, & pour l'enchainure de vos matieres. Data est Epistola anno 1641.

Jam accipe quæ fuerint judicia venerandi viri & aliorum ejusdem ordinis de me, meisque scriptis, editis quindecim post annos, tantò certé iniquiora & perversa, quod priora scripta essent rudia, impolita, foetusque tyronis, præ posterioribus, cum judicio eram subactiori,& plus habebam in conditis : cum ergo posterius evulgassem meam Parænesim ad ædificatores imperii in imperio, in qua quanquam non est consilium impugnare prælationem Episcopalem, aut de ea verba facere; certum est tamen illam funditus everti per ruinam Potestatis Ecclesiasticæ, cujus totus ordo Ecclesiasticus est retinentissimus. Cumque dissidentes circa illam προστασίαν viderent non jam agi de Episcopatu sed, de tantoperé redamata sua Helena, Potestate Ecclesiastica, deque communi causa & jure, factum est, ut qui erant iniquiores in Episcopatum, potius quam unâ ruinâ & Episcopatus & Potestas Ecclesiastica conciderent,in illum æquiores essent; & qui ante, inter se bellare soliti erant, nunc odio condito propter societatem periculi impendentis potestati Ecclesiasticæ, eandem utilitatem foverent, junctisque utrinque viribus, quem non poterant argumentis superare, quemque modò præconiis ad sidera extulerant,facti temporibus quibus serviunt validiores, ad tartara præcipitarent, saltem viliorem algâ facerent, proscinderent, sugillarent,

atque

atque infamarent, ut hominem emotæ mentis,& cujus caput tribus Anticyris est insanabile; nam sic loquitur summus Vir Samuel Bochartus, Epistolâ ad virum magnum; nec æquiora fuerunt judicia reverendi senis Johannis Maximiliani Langlæi de me; cujus caput vult in crucibulo fundi, ut inde prodeat sanum: ut nec Clarissimi viri Johannis Durelli SS. Theologiæ Doctoris, cujus verba sunt ad eundem virum magnum; *il ne sçait pas la moitié du tems à qui il en veut: & il ne sçait ce qu'il dit, ni ce qu'il escrit*: proximum est ut me amandet ad gentiles & agnatos; judicio tamen de me constantiori quam fuit symmystarum, ut qui nunquam, nec me, nec mea probaverit; nam cum ille & alii ὁμόψηφοι mitius agunt mecum, aiunt me emansorem esse, nulli Religioni aut sententiæ fixum, sed semper in fluctuationis salo; atque me esse à Presbyterianis ad independentes, ab his, denuò ad illos; ab utrisque ad fanaticos transfugam: nam illa sunt de me sensa Clarissimi Durelli, non ut priora verba privatis literis ad amicum inclusa, sed ad rei memoriam uncialibus characteribus excusa, ut à pluribus legantur; iniquiora haud dubio futura proximâ suarum vindiciarum editione de homine ingenio miti, offensionum patiente, & segniter maledicta laturo; ac proinde injuriis magis opportuno; neque audente responsare viro quatuor opimis sacerdotiis potenti, & qui Joves habet propitios.

Sed si accusasse sufficit quis unquam erit

innocens? nam si invidiâ, meorum Aristarchorum ilia rumpantur, aut dissiliant, non reperient, quicquam perperam dictum, aut in mea Paræncsi, aut in hoc Causæ Jugulo, quod est illius apex & colophon, fructusque laborum meorum, multò minus partus est ejus, cujus non est sanum sinciput & *qui ne sçait ce qu'il dit, ni ce qu'il escrit:* tum constanter pernego me unquam alium fuisse ab eo, qui eram ante triginta annos, nisi quod nunc major sim annis; aut cujusquam partibus, nisi veritatis destinato consilio addictum fuisse, cùm semper idem fuerim in damnando illo Papismo (quem volo esse Potestatem Ecclesiasticam,) seu imperio in imperio alieno, à Papa, Presbyterianis & Independentibus juxta habito: nam in hoc Jugulo Causæ doceo istius Papismi minimè omnium Protestantium Ecclesiam Anglicanam esse ream; siquidem agnoscat ut par est Regem caput Ecclesiæ. Sed nec, Deo gratias, muto, aut nuto in fide arrepta ab Ecclesiis reformatis: ut jam vitium inconstantiæ, quod mihi imputatur, non sit meum, sed illorum in tua vicinia, qui uno tempore vindicem me sententiæ suis sensibus congruentem miris laudibus tollunt; at alio, promentem ingratam auribus, eamque arcana imperii Ecclesiastici tentantem, accensent, turbonibus, tenebrionibus & mente captis: vitium inquam inconstantiæ, imputandum illis, quos constat Vertumniorum instar circumactos ad quamque auram, aut temporum, aut suæ cuique utilitatis; modò methodum Amy-

ral-

raldianam insectantes, modò arripientes; non ita pridem Presbyterianis æquiores, nunc iniquiores: atque uno tempore ad casum reverendorum Episcoporum lætos, alio ad reditum in suas sedes gaudio exultantes. Certé non unus Pastor in Gallia, qui initio motuum in Anglia suspiciebat & complectebatur Presbyterianos, ut fratres & ὁμοψήφους, in fide & disciplina, post motus (qualis Goyonus Pastor Burdegalensis) de illis locutus est, ut de alastoribus, qui exterminari debent è finibus humanæ naturæ.

At Clarissimus Durellus reperit crassum soloecismum in ipso vestibulo meæ Parænefeos. Herculeum sané argumentum, quod, aut probet mihi, nec fidei, nec intellectus constare rationem, aut totam meam Parænesim ejusque complexum convellat & falsi arguat: quod lego in Suetonio aliquando factum & judicatum à Mario Pomponio Marcello, & Grammatico & causidico, ut qui in advocatione quadam, ideo adversarii sui causam iniquiorem esse dicebat, quod inter orandum soloecismum commisisset, & eo nomine poscebat, si non causæ ruinam, saltem dilationem: sed humaniorem credo Clarissimum Durellum quam ut propter unum erratum, (si tamen erratum, quod constanter inficior) opus totum unâ liturâ inducat. Nec ipse ex uno vocabulo p. 192. perperam usurpato (illud est *appropriari*) velim totum opus, caterà foetum viri ingenio & eruditione præstantis, damnare.

Sed antequam manum auferam de tabula, lubet tuæ cognitioni & oculis ſubjicere in brevi quaſi tabella totum complexum eorum quæ ab hinc triginta annis viderunt lucem, ſub nomine meo, & quæ varia variorum experta ſunt judicia, Durelli, imprimis, à quo eo nomine aſcribor gregi fanaticorum. Aliquot corollariis eum complectar.

1. Si Dominus Jeſus Chriſtus & Apoſtoli dignarentur hodie rebus humanis intereſſe, & ad clavum Eccleſiæ ſedere, non aliam in ejus regimine adhibituros poteſtatem ſeu authoritatem, præter eam quæ eſt perſuaſionis, quæ ſe exerit in eos, quorum mentes Deus luce & cognitione veritatis Evangelicæ perfundit, inſtruit, arguit; è nolentibus volentes præſtat & ad obſequium fidei voluntatem flectit.

2. Quod non aliud poteſtatis, ſeu authoritatis genus, à Chriſto & Apoſtolis collatum fuerit Paſtoribus & Epiſcopis in regimine Eccleſiæ.

3. Sed nec ſi datur jure Divino authoritas, aliqua Paſtoris in Paſtorem per προστασίαν Epiſcopalem, illam differre modo aut naturâ ab ea quam Chriſtus & Apoſtoli haberent, aut quam Paſtor Evangelicus aſſumere debet in populum fidelem.

4. Quod ab ipſis mundi incunabulis, non ſacerdos, Levita, Propheta, Epiſcopus, Paſtor Evangelicus, in Synedrium, Synagogam, Eccleſiam, Synodum coacti, alium modum authoritatis unquam ſibi vendicaverint vi functionis

ctionis

ctionis sacræ, quam qui est persuasionis, admonitionis, consultationis & declarationis, patefactionisque juris Divini.

5. Sed cum ut ait Optatus, Ecclesia sit in republica; nec Ecclesia Christiana, non fides constare & stare possit sine ordine humano: debeantque extra coitionem ad cultum Divinum Ecclesiæ, Rectores & Antistites in coetum coire ad ordinandum statum Ecclesiæ & Ecclesiarum, plané censendum est, rectores & antistites Ecclesiarum extra illam coitionem ad cultum Divinum, non alio jure, non alia authoritate, potestate & Jurisdictione jus dicere; canones & leges condere, sancire & jubere, quam quæ à quovis coetu hominum assumitur, ut foret medicorum, grammaticorum, fabrorum; ut horum tam incongrué diceretur Potestas medica, grammatica & fabrilis, quam illorum, Ecclesiastica & Spiritualis.

6. Quod, quemadmodum, Pastores, Episcopi, populus fidelis in unum locum coacti ad vacandum precibus, verbi auditioni, & ad participanda Sacramenta constituunt veram Ecclesiam Christi particularem; sic officium sit omnium hominum, cujuscunque tandem sint ordinis & dignitatis, sint Reges, aut subditi, se per Baptismum ad ejusmodi Ecclesiam aggregare, seque morigeros præstare veritati Divinæ assertæ, commendatæ; imo imperatæ in nomine Christi à Pastore Evangelico.

7. Non aliam in Sacra Scriptura dari γνῶσιν

Ec-

Ecclesiæ visibilis proprié dictæ præter ejusmodi particularem Ecclesiam: neque unquam in Scriptura, vocabulo Ecclesiæ, denotari cœtum sacerdotum, Episcoporum & Pastorum Evangelicorum.

8. Ut nec jure Divino ejusmodi Ecclesia quicquam potestatis habet in vicinam, ut nec Pastor istius Ecclesiæ particularis, quicquam habet Jurisdictionis in Pastorem alterius Ecclesiæ, multò minus in comparem symmystam de eadem Ecclesia.

9. Quod extra νόημα ejusmodi Ecclesiæ particularis, Ecclesia, quæ diceretur nationalis tam nomine tenus est Ecclesia, quam coetus Pastorum aut Episcoporum vocaretur Ecclesia.

10. Quod extra illam notionem Ecclesiæ, omnis Synodus & convocatio cleri leges & canones condens & jubens, vel per disciplinam confœderatam, sub Magistratu infenso, vel sub eo amico & benevolo per delegatam ab eo Potestatem, non tantum non sit Ecclesia, sed nec coetus Ecclesiasticus (nisi quatenus constat viris Ecclesiasticis) sed tam Politicus quam consessus senatorum, cujus legibus, vis & authoritas non accrescat, nec imprimatur, à justitia, bonitate, & æquitate legum, sed à majori numero suffragiorum, vel à voluntate Potestatis summæ secularis.

11. Quod Potestas Ecclesiarum, Synodorum & Pastorum confluat sub Magistratu amico & satagente res Ecclesiæ in ejus potestatem & imperium: at sub Magistratu iniquiori:

ri: permittente tamen liberum exercitium Religionis, quam non approbat, retineatur per mutuum consensum, disciplinamque confœberatam, quæ Magistratus vices supplet; ita tamen, ut nec vetante summo Magistratu, nec præpediente communi utilitate Ecclesiarum, integrum sit unicuique Ecclesiæ particulari, vel suas res seorsim habere, vel se corpori aut societati aliarum Ecclesiarum adjungere.

Nec multum abeunt hæc corollaria à sensibus Pastorum in Gallia, puta Spanhemii Epistolâ ad Buchananum, pag. 55. *Ecclesia particularis, nil habet potestatis in aliam, sed omnes sunt collaterales, æqualis juris, & authoritatis*, quòd pronunciatum purus putus est Independentismus. Mestrezatius, Tractatu de Ecclesia pag. 677. *Nous n'attribuons aux Pasteurs aucune authorité de faire des loix par jurisdiction; mais seulement de faire des reglemens par direction.* Et pag. 542. *la charge des Pasteurs n'est autre chose que de rapporter & de proposer les commandemens, ordonnances & enseignemens, que Dieu donne en sa parole; estant par leurs charges comme des Ambassadeurs, qui doivent proposer ce que le Prince qui les à envoyé, leur à enjoints, & n'ont point de propre juridiction.* Et pag. 332. In ratione ordinationis, electionis & vocationis Pastorum, conspirat cum sensibus Independentium: imo pene totum indepedentismum exprimit: *le droit de la mission & de l'ordination appartient aut corps de l'Eglise & à la compagnie des*

des fideles qui sont en chaque lieu ; soit qu'il y ait entr'eux des Ministres de l'Evangile, soit qu'il n'y en ait point.

Et D. Gaches ὁ μακαρίτης nuper Ecclesiæ Parisiensis Pastor. Is concione ad ordinationem ornatissimi viri Sarravii. *Il est mal aisé de gouverner une seule famille, combien plus est il dificile de gouverner tout un temple, qui est composé de tant de familles : mais un peuple encore, sur lequel vous n'avez d'autre authorité que la persuasion.* Utrum hæc undecim corollaria, quibus authoritas accedit à triumviratu illo magnorum virorum sint sobria mentis cogitata, an verò deliria ejus, *qui ne sçait ce qu'il dit, ni ce qu'il escrit*, quem hospitem excipere debet domus destinata amentibus, tui judicii facio.

Consilium erat, post purgationem ἀλογίας, me expurgare de crimine falsi, cujus Clarissimus Durellus me postulat in Archiepiscopum Laudum, quasi illi imputaverim quæ nec fecit nec dixit. Sed præterquam quod alibi locus erit justæ defensioni mei, ulterius extendi hanc Epistolam quam in ejus limine destinaveram : materiâ sequaci & voluptate quam capio tecum familitater loquendi, me extra modum Epistolæ abripientibus. Vale.

Cla-

LV.

Clarissimo & Doctissimo Theologo,
DOMINO
MATTHÆO DE LA
ROQUE,

Ecclesiæ Christi quæ est Vitriaci in Armorica Pastori fidelissimo.

FErvebant & festinabant operæ Typographicæ versus quinquagesimam quartam Epistolam, quam ultimam fore decreveram, cum submonitus fui à viro mihi unicé Reverendo Davide Primirosio, non debuisse à me præteriri gravissimum authorem Historiæ Eucharisticæ, in recensione eorum, quibus maximé cupio nostram novam Rationem probari, virum optimé de Ecclesia Dei meritum, & ejusdem militiæ cum Clarissimo Theologo Johanne Claudio socium: obtemperavi igitur præstantissimo viro bené monenti, licet serius quam ut integrum fuerit, apponere, aut tuum nomen in Catalogo, aut Epistolam hanc loco idoneo: nam perinde tibi esse existimo, primum ne an ultimum compellem; modò utrobique idem studium erga te tibi probetur meum, de opere tuo eximio, pleno succi & sanguinis: tum sen-

ſibus & argumentorum pondere gravi; & quæ cum potenter, aut nutantes cohibeant à defectione à fide quam tueris, aut perſuaſos firment in ſententia recepta, inſuper facile moverent, imo permoverent addictiſſimos Romanæ Religioni: niſi illi authoritas potius accederet apud triplex genus hominum, Reges, clerum & populos ab imperio terreno Papæ perſonato, divite & illuſtri, quam ab ulla, aut bonitatis, aut veritatis ſpecie, quæ inſit Doctrinis Romanenſibus, quarum futilitate agmen ducit Tranſubſtantiatio: apud Reges quidem & mundi Monarchas, qui Papæ veſtigia lambunt, à fuco & tectorio vocabulorum, *Eccleſiaſtici* & *Spiritualis*, quibus id imperii obducitur, & ſub hac larva probatur ſacris illis capitibus: apud clerum verò, ab illo imperio ſuis commodis & divitiis eum ditante; ut apud plebem ſuo fulgore & pompâ oculos ejus perſtringente, & inde, ſi non amorem, ſaltem, vel terrorem vel venerationem incutiente; unde firmiter & alté imbibi, detectionem triplicis hujus fraudis & incantamenti; & quæ forſan opus eſt paucarum & ſchedarum & horarum, unicam eſſe viam & rationem, Papam, ejus imperium, & unà Eccleſiam & Religionem Romanenſem evertendi; & quæ plus unâ horâ valeat, ad totum Papale Romanenſe & miſſaticum apparatum dejiciendum & diruendum, quam ſpiſſa, volumina à vobis nuper ſcripta & edita, circa unam illam materiam de Tranſubſtantiatione, ponderis

deris & momenti haberent toto anno ad persuadendum singulo homini de Romanensi communione, ut sequius sentiat de capitis vacui figmento. Quocirca patere Vir Magne, idem à me reponi apud te, quod jam præstiti apud Clarissimum Claudium; te juxta obnixé rogando, imo urgendo, & instando ut novæ meæ *Rationis* habeas rationem: sepositisque omnibus præjudiciis, quibus etiam optimorum mentes obnubilantur; atque subductis & penticulatis, cum facilitate rationis meæ exequendæ, tum commodis quæ inde in orbem Christianum redundatura sunt, adeoque à te hacce veritate compertâ & probatâ, nempé illum esse caussæ Jugulum quem monstro; illam esse arcem, quam invadere, ruina sit & imperii Papalis & Transubstantiationis (nam per eundem Jugulum vita & huic & illi eripitur) totis viribus, animis & armis hunc Jugulum petas, illamque arcem quatias & verberes; quam bonam mentem, id effectum reddendi, ut det Deus tibi & cæteris strenuis veritatis defensoribus & assertoribus, venerabundè precor.

Con-

LVI.

Consultissimo & Doctissimo Viro, DOMINO JOHANNI COCO, Operam navanti in Scriptura, longè Illustri Viro Johanni Trevor Regis Secretario.

Postquam peregissem mearum Epistolarum Syllogen; & substitissem in meis Gallis; serius succurrit debuisse me tibi, viro Clarissimo & optimè de me merito assignare locum inter Anglos; quibus impensè cupio nostram opellam probari. Ego, cum primum à te accepi literas certè verè Latinas, & naturali pulchritudine, exurgentes, & medico & multo usu; teque totum, tuas dotes, ingenium & judicium acre, obviam & expositam, bonis imprimis comitatem, pectus candidum, de maximis rebus ut consultissimum virum decet, sapienter & eruditè judicantem, consideravi: gavisus sum aliquam in hoc vitæ theatro, honorificam, sed miratus, imo penè indignatus sum, ampliorem tibi & majorem, non contigisse stationem, quæ meritis tuis respondeat. Hæc non do tuis auribus sed rei veritati; nec nisi ex occasione te destinandi lectorem & judicem opellæ meæ, quam perinde tibi probatam iri confido, atque aliis ad quos scribo; eoque aceptiorem quod à te probetur.

Claris-

LVII.

Clarissimo & Illustri Viro,

DOMINO

MARCO ANTONIO BASTIDIO,

Consiliario Regio, tum pulcherrimis muneribus defuncto apud Potentissimos Europæ Monarchas & Principes.

AD te, si ad quemquam, Vir Clarissime, de Illustribus gentis laicæ pertinet judicium de nostra nova Ratione, argumento sané tibi pridem noto & complacito; pertinet inquam ad Te, Juris utriusque Divini & humani scientissimum; cæterum non hujus, sed omnis seculi, virum; tam meliori luto à natura formatum, quam quem à judicio, ingenio, rerum usû & sapientia vulgus commendat: certé tanta probitate & pietate excultum, ut licet in luce aut aulæ, aut fori vivens, hinc inter illecebras & blandimenta vitiorum, ambitûs & prensantium, illinc inter minas terrentium, quos promissis allicere nequeunt; attamen sic sis recti pervicax & Religionis reformatæ retinens, ut non exempla Turonensium, nec Tarentinorum, non Pellissoniorum, non montes aurei oblati, qui fortunam tuam lautam ad lautiorem prove-

 hant,

hant, te queant dimovere à ſede viri pii, probi & antiquæ fidei & ſeveritatis; tum utilitatibus & commodis Eccleſiæ Pariſienſis tantopere addicti, ut plus honori ducas illi navare operam in Senioris miniſterio, hoc eſt aſtare ad limina Domûs Dei in modum ſupplicantis, & neceſſitatibus Eccleſiæ inſervientis, quam conſortem eſſe publicorum conſiliorum intra Regum palatia. Macte hac virtute & perge tuo præſidio Eccleſiam Dei tueri, regere prudentiâ, at ornare vitæ illibatæ diſciplinâ, meque tui maximum cultorem tuo favore complecti. Vale.

Cha-

 138

LVIII.

Clarissimo, Amplissimo & Illustri Viro,

DOMINO

GUILLIELMO MORICIO,

Equiti Aurato, nuper in Sanctiori Regis Consistorio, Consiliario & Secretario, nunc verò Senatori Ordinum regni.

Cum tibi imprimis, Vir Amplissime, debeatur locus inter illustres Anglos, quos mihi deposco lectores & judices hujus opellæ, factum est per negligentiam illius qui vacat emendationi libri, ut nunc demum mea ad te Epistola excuderetur: & quem oblivisci esset meî maxima oblivio: Te inquam virum, imprimis gnarum & intelligentem harum rerum quas tracto, & cujus sensa ni fallor concordant cum toto meæ Rationis, consilio & complexu, quique biennium, antequam requievisses à pulcherrimo munere, quod plures annos, sapienter, incorrupté, cum omnium bonorum laude, at sine malorum reprehensione sustinuisti; primum rudimentum, scripto exaratum, & impensè probavisti, & dignum censuisti quod lucem aspiceret, quemadmodum mihi per literas significavit ornatissimus & Doctissimus Vir Johannes Cocus, qui tibi tunc temporis in Scriptura operum

navabat, ut jam non eſt quod nunc ſollicité te rogem, ut velis eſſe meæ opellæ lector & judex, multò minus ut æquus ſis: quemque æquiorem mihi ſpondeo quam quemquam de ordine ſacro, non ſolum quia laicus es, nemini de illo ordine cedens peritiâ rerum, quæ ſunt Theologorum, ſed quod honeſtâ miſſione donatus es muneris illuſtris cujus fulgore ſolent mentes præjudiciis, aut excæcari aut aliò abripi, quibus maximé omnium præpeditur natio Theologorum; tum ſuâ cuique utilitate privatâ, ſeu gratiâ, ſeu ſtimulatione, magis corrumpitur, quam ordo laicorum; eòque magis, quod illa gens ſacra, quemadmodum, ubi bona eſt nulla melior eſt, ſic ubi mala nulla peior ſit: atque hæc pars ſequior vitâ, doctrinâ, moribus, ambitione, ſævitiâ & avaritiâ ſemper fuerit numero major: quin imo ipſa ſanior & minor pars, non ſit immunis à veneno ſuæ cuique utilitatis, adeoque iniquior ſit judex, in re ſua, ut eſt Chriſtiana Religio, quam foret laicus imo quam Ethnicus, ſed omni Religioni incurioſus, eòque defœcatiori judicio ſenſa ſua prolaturus de quacunque aut re aut perſona, in quam nec odio nec amore fertur, quam faceret aut facere deberet Chriſtianus Theologus, qui ſi falſi eſt pertinax, eatenus eſt laudandus propter pertinaciam retinendi quod verum putat, quanquam eſt culpandus quod à vero & recto deviet. At ſi eſt veri pertinax eatenus eſt laudandus quod vera promat aut ſentiat: verùm tantò iniquior eſt judex, quia

eſt ſeu veri ſeu falſi, ſeu recti ſeu iniqui, retinentior, adeoque eo iniquior judex, aut ſaltem ineptior, ſi conſtat majorem eſſe metum à judicio ſequioris ordinis virorum ut ſemper fuit Eccleſiaſticus. Profectò niſi omni tempore, laicorum Principes Reges, Magiſtratus ut Moſes, Conſtantinus, Carolus Magnus, Edoardus VI. Rex Angliæ, Senatus Pariſienſis, ſuffecti fuiſſent à Deo, qui Aaronem fabricantem vitulum Iſraëlitis, quem adorarent, Epiſcopos rixantes, jurgantes, & inter ſe colliſos, aut hæreticos ſua authoritate compeſcerent, aut coercerent, jam pridem Eccleſia Dei converſa fuiſſet in aceldama, nec uſquam aut fidei aut Sanctitatis veſtigium, extaret. Nam licet prima reformatio à Luthero homine de clero cœperit, in ipſo ortu peſſumdata fuiſſet per varia judicia & diſſidia Theologorum, niſi poteſtates ſeculares, ſuâ authoritate, confuſa compoſuiſſent & res Eccleſiæ ordinaſſent. Sané in Anglia, non à clero ſed à gente laica prodiit reformatio; illo ſemper proniore ad prava & ſæva conſilia. Cum enim prima Convocatione & regni & cleri 1. Elizabethæ, deliberaretur de rebus circa Religionem conſtituendis, ut major pars Parlamenti pro reformatione introducenda, & Papiſmo eliminando, ſic totus clerus pro hoc retinendo & illa abroganda ſtetit. Auguſtus Thuanus obſervat Reges Galliæ & Senatum Pariſienſem æquiores ſemper fuiſſe in Valdenſes, Albigenſes, Lutheranos & Calviniſtas quam cle-

num Romanensem, ubique & semper se gerentem, incendiarium, facem & authorem lanienarum, & mactandorum, non tam prava quam diversa à se sentientium, & quos eo nomine hæreticos nuncupant: nam & hunc morem sæviendi Religionis causâ in hæreticos, traditione accepit Roma ab orthodoxis Episcopis Ithacio & Idacio, numero potioribus uno Sancto viro Martino Turonensi, hunc immanem animum in Priscillianistas detestante in viris sui ordinis, feritate provocantibus, imo superantibus Maximum imperatorem Ethnicum, animo longé æquiorem & mitiorem in Priscillianistas. Sané non solum Josephus Historicus, sed & sacra Historia, aiunt gentem Sacerdotalem semper proniorem fuisse ad idololatriam, tum crudelitate & avaritiâ fœdiorem, magis infidam, quam Principes populi de gente laica, etiam in re pecuniaria ut liquet ex 2. Libro Regum cap. 12. Et Eusebius testatur, non ulterius Christianorum Antistites sub Ethnicis Imperatoribus Zelo Dei flagrasse, sanos in fide & concordes fuisse, quam quatenus ad hos mores castigatos & sensus unanimes per sævitiam Deciorum & Diocletianorum compellerentur: cæterà ubi requiescebant à persecutionibus, factionibus, ambitu dissidiis laborasse: nam iidem datâ potestate liberé χεισιανίζειν, tum maximé lascivierunt ut equus excusso sessore: nam si excipis unum Sanctum Augustinum, unumque aut alterum de Græcis, ut Gregorium Nazianzenum, & Basilium; Chryso-
stomi,

ſtomi, Ambroſii, Theophyli & Cyrilli Alexandrini, Epiphanii, imo Hieronymi, perpetuò inter ſe jurgantes, tum factionibus ſciſſi & ſuperbiâ tumentes, Chriſtianiſmum evertiſſent, ſaltem corrupiſſent, niſi in aliquem ordinem compulſi fuiſſent à Conſtantinis, Theodoſiis, Martianis & Valentinianis. Ad ulteriora & ſequiora tempora, imo noſtra non deſcendo longé feraciora argumentorum, cum pro improbitate, ſævitia & arrogantia cleri, tum pro iniquiore ejus judicio, quam foret laicorum. Sed vereor me ſequaci materiæ committere, quæ me longiùs duceret & tua otia moraretur.

LIX.

Longè Illuſtri Viro,

DOMINO

HUMFFREDO VINCÆO

BARONETTO,

Et Senatori Anglo.

HIc liber, Vir Ampliſſime quem judicio tuo ſubmitto, etſi innovato cultu præferat ſpeciem novitatis, non eſt tamen tibi novus, nec peregrinus, ſed pridem notus: ſiquidem mea Parænefis, quæ prodiit antè quindecim annos & quæ tibi complacita eſt, introductio eſſet ad hanc novam rationem; illa, quæ omnem Poteſtatem Eccleſiaſticam diruebat ſecum traheret hanc opellam (quæ nunc demum prodit,) hoc eſt ruinam & excidium Imperii Papalis totiuſque apparatûs Romanenſis, Religionis & miſſæ. Namque ſemel avulsâ per noſtram Parænefim àlté imbibitâ ex animis Regum Principum, Pontificiorum, Proteſtantium, ſacri & laici ordinis opinione de poteſtate Eccleſiaſtica ſeu de Judicibus, curiis, legibus, & foro ſeorſim habendis, vix quicquam habet quod agat noſtra nova Ratio, dum docet hoc fuco Poteſtatis deterſo & hâc larvâ Papæ ereptâ, Reges & Principes non diu laturos in ſuis territoriis

ritoriis conſortem (an Dominum) imperii juxta cum ſuo, terreni; atque illo Papali imperio abacto, & diruto, unâ ruinâ obtritum iri totum Romanenſem apparatum, cui omnis authoritas, omnis gratia accedit ab illo imperio pompâ illuſtri & auro radiante, & tandiu duraturo & manſuro, quoad fucatum eſt, (nec fucus intelligitur) vocabulis Eccleſiaſtici & Spiritualis. Cæterum hoc conſpectu dato totius operis noſtri, mirùm ni te exolvo labore totum evolvendi, & eo nomine te demereor; eò tibi acceptior ſi nullas laudes in tuum caput aſpergo, multò minus promiſcuas, quibus magni viri & te totum referentes non ſunt vulgandi. Vale illius memor quem olim in gregem amicorum recepiſti.

Ad

L X.

Ad virum apprimé reverendum, Pastorem Ecclesiæ Gallicæ quæ est Roterodami.

Cum gratuler mihi, Clarissime & Doctissime Rupeforti de familiaritate quam tu Vir eruditione, facundiâ, ingenio, & quod caput est pietate longé præstans, mecum habere dignaris, meque in gregem amicorum tuorum recipere; tum maximé glorior tuo judicio (ut indicat narratio quam facis de Labadia, in quo nec omnia damnas nec omnia probas) nullis præjudiciis, nullâ sua cuique utilitate aut excæcato aut abrepto; quo magis in spem venio fore ut totus meæ novæ Rationis complexus, consilium & ratio tibi arrideant. Nam si de homine ascripto ab inimicis gregi fanaticorum & lucumonum, & ut volunt, horrendo monstro, fœdo; hæretico, elogiisque dehonestato, quæ potuit splendida bilis suggerere, tu tamen seposito omni affectu aut odii aut amoris æquius judicas & pronuncias, ut de viro bono, Sancto & orthodoxo, sed qui ut pluribus virtutibus, ita multis vitiis abundet, ut cum non solum acrius aliorum vitia insectatur; se verò, suamque sanctitatem in majus tollit, eoque incommodius quod in ore proprio omnis laus sordescat, sed & arripit diversam ab aliis sententiam aut sectam

sectam in instituto aut vitæ aut disciplinæ; atque sibi Ecclesiam separatim inconsideratius fabricat. Hæc inquam si sunt tua judicia de Labadia, hâc me spe, imo fiduciâ sustento, futurum, ut me qui nunquam quemquam nec scriptis nec verbo læsi, vitia non homines insectatus sum, qui nec abeo à doctrina, & fide, imo ne disciplina quam Pastores in Gallia aut Belgio jubent, commendant & sequuntur, vindices, contra illos qui me iisdem coloribus, hoc est fœdis quibus labadiam, imo atriori carbone depingunt; flagrum Ecclesiæ vocant, & ut eversorem omnis ordinis Ecclesiastici, saltem decurtatorem Potestatis quam volunt Deum in Ministros suos contulisse exagitant, sugillant, proscindunt; sed tui judicii facio an debuerit sic tractari qui in ea sententia est quam hic subjungam.

1. Non aliam, aut in mundo, aut in orbe Christiano, rerumque natura dari potestatem Ecclesiasticam, atque fuit Domini Jesu & Apostolorum, quæ per prædicationem verbi agit in volentes, saltem de nolentibus volentes præstat & efficit; atque intellectum cognitione veri illustrat, voluntatem verò flectit ad electionem boni, ad fidem, pœnitentiam, timorem Dei & amorem proximi, atque ad hanc potestatem pertinere claves regni cælorum & potestatem ligandi & solvendi, tum munus Episcopi, Pastoris, Ministri Christi & dispensatoris verbi Divini.

2. Nec aliam rationem formalem Ecclesiæ dari præterquam particularis seu Parochialis

lis seu congregationalis, constantis uno aut pluribus Pastoribus æqualis authoritatis & tot Christianis quam commodè in unum locum convenire possunt ad auditionem verbi & participanda Sacramenta.

3. Cæterum extra illam Ecclesiæ coitionem coetum hominum, quem Synodum aut consistorium vocant conflatum ex Pastoribus & delegatis populi, quandoque ex capitibus familiarum ad ordinandas res Ecclesiæ, Canones condendos, censuras decernendas, tam esse coetum politicum & civile quam foret Magistratuum, mercatorum, fabrorum, medicorum, quorum definitionibus constitutionibus legibus imperatis, jussis nec vis nec authoritas accedit à veritate, justitia aut bonitate decretorum, sed à voluntate decernentium, aut majori numero.

4. Secundum quod inficeté & absurdé & præter rei veritatem deputatos ex corpore Ecclesiæ ad Consistoria & Synodos vocari Pastores secundi generis, viros Ecclesiasticos & Seniores seu laico Presbyteros, quibus altera de clavibus regni cælorum quæ est regiminis tradita est; neque enim Dominus Jesus instituit duo genera Pastorum, quorum uni Doctrinæ, alteri regiminis clavis concredita est; sed neque Ecclesiam particularem, cum eligit de suo corpore seniores, id agere quatenus est Ecclesia aut coetus Christianorum & fidelium, sed quatenus est corpus politicum constans capitibus liberis communi jure gaudentibus: cum enim major pars suffragiorum

rum

rum eligat eum qui allegari debet ad Synodum, tam abſurdé diceretur plebs Chriſtiana quâ Chriſtiana deputaſſe ſeniorem ad Synodum, quam medicum ædificare domum quâ medicum.

Quocirca licet ſit optimus uſus ſeniorum illorum ſeu deputatorum à populo, tamen tantum abeſt ut in Synodis ſtationem ſuſtineant Miniſtrorum Chriſti in quorum manus tradita eſt altera clavis, quam volunt eſſe regiminis, ut nequidem Miniſtri & Paſtores Evangelici virtute clavium leges condant, cenſuras decernant, ſed ut libera capita quæ de jure communi ſuas res diſpungunt, quod jus commune, & quem ordinem, ut non adhubent, Academici, Mercatores, Medici, fabri in ſuum quique coetum coacti pro poteſtate ſua Academica, fabrili, medica, mercatoria, ſic nec putandum Paſtores in Synodum coactos Canones & leges ferre per poteſtatem ſuam Eccleſiaſticam & virtute clavium.

Atque hiſce quatuor Corollariis, nam plura attexo Epiſtolâ 54. ſemel intellectis, probatis & arreptis, ubique ſtatim conſident & concident omnes controverſiæ de poteſtate Papæ, Paſtorum, Synodorum, de excommunicatione, de imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra, ſaltem minimo negotio enodabuntur; ruet Papa totuſque apparatus miſſaticus, tum Eccleſiæ & Religions Romanæ, & hæc & illa in auras diſſlabitur: Hierarchici amice coaleſcent cum vindicibus ἰσοτιμίας Paſto-

Pastorum; Presbyteriani cum independentibus, vestri Pastores in Belgio cum Magistratibus pene jam seculum integrum inter se, his pro libertate illis pro imperio decertantibus; quorum singuli quanquam aliquam habeant viciniam veri & falsi; non est sperandum unquam ut in concordiam confluant & coeant, quamdiu quique sunt ἰδιογνώμονες, suisque, certisque ac destinatis sententiis addicti, nec volunt tantillum abire à suo rigore, ut adducantur ad aliquod temperamentum, quale est quod nostræ hypotheses præbent, & quibus insistit, cum nostra Parænesis, & noster Papa Ultrajectinus, tum hæc nostra nova ratio quam publici juris facimus: nam certum est Independentes propiùs accedere ad primævam praxim, atque unamquamque Ecclesiam esse particularem; nationalem verò merum esse corpus Politicum cæterum tam singulas Ecclesias seu Parochiales seu congregationales quam singulos Pastores æquales esse authoritate, nec hos nec illos per deputatos suos in Synodo alia authoritate præditos esse quâ Pastores Christianos & fideles quam suadendi, nec aliud decretum jubendi aliudque anathema intorquendi quam illud Apostolicum, Act. 15. *probè vestris rebus consuletis si hoc facitis.* Namque canon Apostolicus, lex Evangelica, lex Spiritus prius agit in animum quam corpus ad obsequium trahat. Si quæ vis adhibetur per depositionem aut excommunicationem, illa est ordinis humani vel assumpti, per communem consensum discipli-

nam-

namque confœderatam, quæ Magistratu non curante aut non attendente ad res Ecclesiæ, locum supplet Magistratûs, vel delegati ab ipso summo Magistratu amico & benevolo. Secundum quæ præses in Synodo non est Minister Christi, sed vel confœderatæ disciplinæ, vel Magistratûs. Nec excommunicationem admitto præter eam quæ est à coetu, & lex est seu Magistratus seu confœderatæ disciplinæ, tum Pastor aut fidelis non tam improbum arcet à se, quam ipse se ab eo arcet: cum quo communicare non video quicquam accrescere damni bonis, imo nec majoris improbo communicanti, quam omnem communionem aspernanti. Par est fidum Pastorem jubere singulos ut suam conscientiam excutiant & interrogent, judicentque ut jubet Apostolus, ne imparati & impœnitentes ad sacra accedant: sed nullo jure Divino video obligari Pastorem, aut quemquam de plebe Christiana non communicare cum improbo se ingerente aut irrumpente ad Communionem. Notanda sunt verba Augustini ad Vincentium Epist. 48. *Manifestum est non contaminari justos, alienis peccatis, quando cum eis Sacramenta Communicant, &c.* venerandi Bozæ Epist, 2. ad Thomam Tilium, *ut ritè accedamus ad cœnam, non est scrutandum mihi, quâ quisque conscientià ad eam mecum accedat, sed de mea ipsius conscientia laborandum est, itaque & cum adulteris & cum homicidis, & cum sceleratissimis quibusvis, modò nullâ meâ culpâ tales sint, si ad coenam castus & sceleris*

purus

purus accessero, nihil illorum impuritas mihi nocuerit & quod de moribus dico etiam de doctrina dico, &c. In eadem est sententia Joh. Gerardus Vossius in Thesibus suis Historico Theologicis.

Non dubito quin viri intelligentes harum rerum modò nullis præjudiciis obnubilentur eadem atque ego sentiunt de excommunicatione, imo de tota Ratione cui hæc oppella innititur. Exemplo sint mihi Pastores Dieppenses, ad quos cum ante 14. annos misissem meam Parænesim, statim ad tantam veritatem quam nunc strictim apud te attingo convicti fuerunt de futilitate potestatis Ecclesiasticæ ejusque progagine, excommunicatione: nulli dubitantes quin, per eam scalam conscenderit Papa ad id culminis quod nunc insidet: atque eatenus implevisse mysterium iniquitatis, imo illam Potestatem Ecclesiasticam verum esse mysterium iniquitatis. Namque Vauquelinus sine mora literis ad D. Cognardum Londini agentem scripsit, *que usqu'a ce qu'on remette sus pied par de plus forts arguments l'excommunication, il croira que ce n'est qu'une invention humaine.* Alter is erat Falcemburgius tantum abest ut crederet per meam Parænesim subverti aut infirmari disciplinam nostrarum Ecclesiarum, ut contrà obfirmaté pronunciaverit per eam in solido locari.

Tant s'en faut (verba sunt ejus ad suos symmystas & ad me) *que vos hypotheses de la Paranese ruinent la discipline de nos Eglises, qu'il n'est rien qui l'affermisse davantage, la posant*

posant sur ses vrais & naturels fondemens, & longé plures, præter omnem laicorum nationem virorum illustrium & Doctorum, quorum agmen ducit Henricus Justellus, significarunt mihi, per meas hypotheses nihil decidi de authoritate Pastorum, nec quicquam de vigore disciplinæ Ecclesiarum seu in Gallia seu in Belgio accidi, at inde hoc emolumentum accedere ut fiat controversiarum compendium; ruat Papa uno pene ictu, nisu & impulsu, & eâdem ruinâ involvatur, cum Ecclesia, tum Religio Romana; quocirca rogo obnixé, Vir magne & amicissime, tuam humanitatem, ut priusquam tu & ego ex hac vita discedamus, hæc duo aut tria mihi effecta reddas.

Primum est ut si quid peccatum est, vel in universo totoque meæ novæ Rationis, complexu & consilio, vel in partibus, id tam candidé proferas, mihique per literas significes quam judicasti de Labadia; cum tamen vix reformidem fore ut aliquid uspiam desideres, usque adeo hosce viginti annos rem concoxerim,& quod animo præsumpsi culpari posse, vel in nova nostra Ratione, vel in hypothesibus quibus superstruitur, correxerim.

Secundum est, ut si novam nostram Rationem probas, aliis velis laudare & commendare, non authoris nomine, suæ tenuitatis conscii, sed rei quam aggreditur, cujus momentum cum sit detectio & ruina mysterii iniquitatis (quod est imperium Papæ terrenum per omne nefas & occupatum & habitum in Reges & nationes; sed ne iniquitas hæc dis-

palescat vocabulis Ecclesiastici & Spiritualis fucatum ; in quo fuco Mysterium consistit) plané imbibi longè præcipuum esse secundum Mysterium pietatis.

Tertium quod te rogem est, ut velis apud tibi & mihi perinde notum charum caput, à capite meo depellere invidiam & odium turbonis & flagri Ecclesiarum nostrarum, per quod vilescit sacrum Ministerium; tum Pastores Evangelici ad infima subsellia detruduntur, omnique authoritate exuuntur; tum claves regni cœlorum in manus Magistratûs & Regum traduntur: quæ quidem à malevolis instillata sunt charissimis capitibus & quæ longissimè abeunt à mea sententia, illiusque qui contra dolet in reformatione, verbi Divini Ministros, passos capite diminui à Magistratu & libertate civica exui, quam sub lege sacerdotes æquam habebant cum Principibus populi in regimine Reipublicæ & regni; & cum jus humanum juri Divino innitatur, cujus custos est gens sacra, per summam injuriam depelli à liminibus sacri Consistorii Magistratuum & Regum: unde arrepta est occasio à sacro illo ordine ad vindictam & ultionem sibi fabricandi seorsim imperium & potestatem chimericam: quique tantum abest ut tradat claves regni cælorum in manus Magistratûs, ut contra perneget summum Magistratum esse caput, rectorem & gubernatorem Ecclesiæ, nisi quatenus Ecclesia est corpus politicum: denique qui censet, quantò peritiores sunt Pastores juris Divini quam viri laici, tantò

tantò æquius fore ut ſoli admoveantur regimini Eccleſiæ, & his ſolis Synodi conſtent: quanquam, id arctè ſemper tenet, urget, inculcat illorum Synodum tam eſſe cœtum Politicum, quam foret cœtus Magiſtratuum, nec jus dicere virtute functionis ſacræ, ſed juris communis & propter majorem peritiam rerum Theologicarum. Certè, ſi Magiſtratus in cœtum cogeret peritiores Mathematicos, Architectos & fabros, qui leges figerent ædificatoribus deſtinatis urbi condendæ, non inde conficitur hoſce leges tuliſſe per poteſtatem, Mathematicam, Architectonicam & fabrilem; par Ratio eſt Theologorum coactorum in Synodum, puta Dordracenam, quos & inficetè & abſurdè quis diceret leges aut Canones condidiſſe, tuliſſe & ſanxiſſe per poteſtatem Eccleſiaſticam.

LXI.

Reverendo & Doctissimo Viro, DOMINO LUDOVICO de VOLZOGEN,

Verbi Dei Ministro, & Professori Historiæ Ecclesiasticæ, Ultrajecti.

CUm Vir Clarissime, in extremis capitis septimi hujus opellæ data esset occasio te allegandi, hanc inde arripui & illam subjiciendi tuo judicio, quod conjicio non tantum esse acerrimum multâque eruditione excultum ex lectione tuæ orationis inauguralis, sed & nullo præjudicio excæcatum esse ex illa opera, quam pro tua humanitate non ita pridem mihi navasti in negotio, quod pugnat cum sua cuique utilitate amoreque imperii, quibus vester sacer ordo solet duci & inescari; quo magis in spem venio futurum, tum ut nova nostra ratio tibi probetur, tum me vindices contra crimina quibus postulant me vestratium nonnulli, quasi per me apud vos sacrum ministerium vilesceret & disciplinæ Ecclesiasticæ nervi succiderentur; ipsi verò, viri reverendi de ordine Ecclesiastico ad inferiora, imò infima subsellia detruderentur; à quo crimine ut me expurges, te etiam atque etiam rogo. Vale.

Orna-

LXII.

Ornatissimo & Generoso Viro,

DOMINO

CAROLO VERMUYDEN,

Medicinæ Doctori.

ET tibi duplici nomine, & amici & Medici, debetur locus inter eos quibus nostram novam Rationem placere cupio: amici quidem propter illam necessitudinem & amicitiam quam mecum tam familiariter colis, & quæ à tua virtute cœpit, verùm usu & consuetudine morumque conspiratione invaluit: at Medici, in quem doceo luce meridiana clarius Epistolâ quinquagesimâ secundâ cadere æquius judicium de re quam tracto, aut quavis quæ in disceptationem venit inter ipsos mystas & Theologos, quam in quemquam de gente sacra: quocirca quæ ibi fusius expono, tibi dicta esse puta, & te properum & assurgentem honesto impetu ad præclara quæque & te digna amantem redama: plurimúm. Vale.

LXIII.

Longé Illuſtri Viro,
DOMINO
CAROLO OUSELEY
BARONETTO.

INtelligo à tui nominis Maximo cultore, non debuiſſe me inter illuſtres, quos opellæ meæ lectores & júdices, mihi depoſco, & quibus maxime cupio noſtram novam Rationem probari, præterire Te, ſolidè, doctè & egregiè gnarum & intelligentem illarum rerum quas tracto, tum ſtrenuum vindicem libertatis conſcientiæ; adeoque optimum judicem de quavis controverſia, ſeu de fide, ſeu de regimine Eccleſiæ; illâ imprimis quæ attinet rationem expeditiſſimam per quam concordes in una fide, ſed ſenſibus in modo aut cultûs aut regiminis Eccleſiaſtici, à ſe invicem abeuntes, pacem inter ſe colant; judicio tanto defœcatiori, quod in illâ ſtatione tuâ, viri de laica natione, generoſi, eruditi, probi, pii, nullius togæ aut Eccleſiaſticæ aut civilis fulgore & commodis impediti & excæcati, tibi, ſtudiiſque tuis ſacris & humanioribus potius in ſeducto, quam in luce hominum, vivas, adeoque minimé omnium hominum ſis veneno ſuæ cuique utilitatis, ſtudiique par-

 150

partium aut excæcatus, aut à vero & recto abreptus: nam in ea sum sententia, nunquam futurum ut de ordine Ecclesiastico viri, quandiu sub præmio aut lucri aut imperii rem faciunt Divinam & Theologica tractant, se sistant idoneos judices de suo jure, imperio, Dianaque unde vivunt, & rem suam seu familiarem, seu culinariam augent; tum qui quatuor aut quinque opimis sacerdotiis dives est, pronunciet decimas esse juris humani, & peccare eum contra jus Divinum qui simul tot beneficia possidet; aut qui pronior est in Arminianismum, candide dicat quis sit sensus Ecclesiæ Anglicanæ circa illas controversias, in quibus Arminiani abeunt à cæteris reformatis, aut qui iniquior est in Puritanos, non sibi adoptet ejusmodi dogmata, Papam alium esse ab Antichristo, & Episcopatum esse juris Divini, quibus ægre putat facere Puritanis; ut jam non dubitem pronunciare magis à te (nisi Medicus paria tecum faciat) & tuæ sortis viris expectandum de hisce æquum judicium, quam à sacri ordinis hominibus, ob eas potissimum causas quæ retuli Epistola 52. & 58. sed plura addere non patitur Typographus.

LXIV.

Viro Longé Illustri, DOMINO NICHOLAO CARY, *Baronetto & Senatori Anglo.*

NOn eâ gratiâ, Vir Amplissime, te judicem & lectorem meæ novæ Rationis exposco, ut captem benevolentiam viri, aut florentis fortunæ, aut magnæ authoritatis & existimationis, atque ingenio, virtute, eruditione, rerum usu & facundiâ cumulatissimè instructi; tum de Rege, regno, & illo hominum ordine qui in Anglia pietatem præter cæteras habent præcipuam, bene meriti; quem ego in seducto vivens nec de facie novi, nec unquam forsan visurus sum, sed qualem viri boni te prædicant & exscribunt, probum, apertum, simplicem, nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam referentem, adeoque vel nullo subsidio accedente à tua penitiori omnis Divini humanique juris cognitione, tantò æquiorem futurum judicem; tum commodorum quæ ex nostra nova ratione accedent orbi Christiano, tum facilitatis ejus expediendæ: unde spei plenus sum futurum, ut etiam furtivis oculis conspecta à te statim intelligatur, mox intellecta probetur, & tandem

tandem probata arripiatur, quoad per te, ſe ulterius diffundente rationis noſtræ utilitate, ejus auditus occupet, animos & aures eorum per quos ſtat quominus ad effectum perducatur.

Illu-

LXV.

Longè Illuſtri & Ampliſſimi Viro, DOMINO ROBERTO WORSELEY, *Baronetto & Senatori.*

SUbmonitus Vir Ampliſſime, à viro amiciſſimo tua ſenſa longiſſimè abire, cum ab Eccleſiæ Romanæ dogmatibus, tum maximè ab illa injuſta vendicatione & occupatione imperii Papalis in Reges & nationes, adeoque ad tuum, ſi cuiquam, judicium pertinere quod molimur hac noſtrâ opellâ, per detectionem unius imprimis fraudis, quâ ſolâ patefactâ, & Papæ imperium, & totus Romanenſis Eccleſiæ & Religionis, miſſaticuſque apparatus unâ ruinâ, ſine ſanguine & armis concidere debet: Ratione ſanè & novâ & compendiariâ, nec à quoquam quod ſciam, aut trita, aut tentata, excitatum me ſenſi ad illam Rationem tuo judicio ſubjiciendam, ut ſi à te probatur & arripitur, quod futurum confido, aliis permotis & pervictis exemplo & ſuaſu viri ubique magni, ingenii & judicii acerrimi, decoræ cunctationis, antiquæ ſeveritatis, eruditionis non vulgaris, tum maximæ inter allegatos ad Parlamentum Senatores autoritatis, arrideat quod Tuo judicio comprobatum fuerit.

Illu-

LXVI.

Illustri Viro,

DOMINO

THOMÆ OVERBURY,

Equiti Aurato.

CUm Illustre nomen Overburiorum, multum in Historia per Te perennet, omni genere virtutum, eruditionis, prudentiæ, pietatis & ingenii cultissimum, introrsum & extrorsum beatum, tecum habitantem imo viventem, nec ut sis beatus ex aliorum aut fortunis aut judiciis pendentem; patere ut tantum virum colère, diligere, imò amare pergam, studio tantò arctiore, & in quo maxime glorior quod expertus fuerim mea sensa in omnibus quæ scribo cum tuis concordare, ut jam rogandus sis, ut in lectione nostræ opellæ induas vultum severiorem, ne plus amori quam judicio indulgendo, mollius de toto rei complexu pronuncies.

Longè

LXVII.

Longé Nobili & Illustri Viro,

DOMINO

JOHANNI ab HEVERBEK

PRZERZECKI,

Amplissimis Legationibus & pulcherrimis muneribus defuncto, atque etiamnum defungenti.

PErsæpe animum meum subit recordatio temporis, quo fruebar in Gallia tuâ suavissimâ consuetudine : mirabar in viro nobili popularem humanitatem ; in juvene senilem prudentiam, celerioremque virtutis & eruditionis cursum quam ætatis ; nam vivens in medio vitiorum, servabas tamen mores incorruptos, vitæque illibatæ disciplinam ; non absimilis piscibus, qui degentes in medio mari nihil trahunt salsuginis : quibus ornamentis, summa tua in Deum pietas & purior Divini cultûs & Religionis professio, ut bractea gemmæ supposita splendorem conciliabant ; quo magis refricare aveo, veterem illam necessitudinem quam mecum habere dignatus es, tuæ dignitatis immemor ; tum flagrantissimè exopto, tuo judicio acerrimo & defœcatissimo subjicere novam meam Rationem, Papam totumque missaticum apparatum subvertendi & diruendi, ut à te semel

probatâ

probatâ & arreptâ, compertaque maximæ esse frugis, per te ad plurium notitiam, approbationem & usum diffundatur. Erit sanè magnum operæ pretium, vel si tibi uni probatur, saltem si testis est observantiæ & charitatis quâ Te colo, exosculor, diligo & amo. Vale.

Nobi-

LXVIII.

Nobilissimo & Illustrissimo,

POLONO BARONI
GORESKY.

SI quisquam est, Vir Nobilissime, qui nec amore, nec odio in partes ductus, neque privatis utilitatibus indulgens, spe aut imperii, aut lucri, recto judicio pronunciet de toto complexu Rationis meæ novæ; Te potissimum ejus & lectorem & judicem designarem, figerem & requirerem virum, cujus tam late patet disciplinarum scientia, ars, industria, quam ipsa natura, & qui cum omnibus musis & imprimis scientiarum regina Theologia, pietate, linguis tum Europæis tum Orientalibus commercium habet: Te inquam requirerem idoneum & æquum judicem, quem nec imperium Papale suo fulgore & robore obcæcat, nec suâ potentiâ ditat; quique in hoc littus ejectus, procul aut à spe opimi beneficii, aut metu à quâquam ferula Ecclesiastica, sibi vivit, suisque Musis, in seducto & alto otio, unde tanquam ex portu & in loco plano, tuto & firmo depositus, prospicit publicam tempestatem, collisionesque Principum & doctorum: quæ reputatio firmavit me in ea opinione neminem in quo-

quoquam vitæ aut genere aut recessu quam tuo æquiorem futurum judicem & lectorem; neminem, qui hoc aut ocyus debeat, aut lubentius velit pro jure amicitiæ nostræ. Vale.

Illu-

LXIX.

Illuſtriſſimo & Nobiliſſimo Viro, DOMINO PHILIPPO BARONI WHARTON de WHARTON.

NIhil decedit, Nobiliſſime Baro, nec viro priſcæ Nobilitatis, virtutis & pietatis, nec obſervantiæ quâ Te colo & revereor: ſi quem debui collocare inter primos & primores regni, quibus flagrantiſſimé cupio noſtram novam Rationem placere, nunc pono in extremis, proximum ſacri Imperii Electori; & juxta rogo, ut non ſolum meæ opellæ velis eſſe lector & judex, ſed &, ſi à te probatur, probata arripitur, laudatur, commendaturve, ut Ratio maximæ frugis, & cujus ſunt faciles explicatus, ejus authorem favore vindicis, defenſoris & Mecænatis tueri & complecti digneris.

Illu-

Sereniſſimo & Celſiſſimo
Principi,

CAROLO LUDOVICO,

Dei Gratiâ Comiti Palatino Rheni, S. R. I. Principi, Electori, & Architheſaurario, Duci Bavariæ, &c.

POſtquam (Sereniſſime Princeps) Ornatiſſimus Vir Antonius Horneck, nuper redux Heidelbergâ in Angliam, & multus apud Sereniſſimam Tuam Celſitudinem, ſignificaviſſet, id ſe imprimis habuiſſe in mandatis, ut authorem, Paræneſeos ad Ædificatores imperii in imperio, Londini agentem, moveret, imo permoveret, ut relictâ Angliâ ſe conferret Heidelbergam, ut ibi lau-

tis ſtipendiis ornatus, publicam aliquam profeſſionem quam vellet & eligeret, ſeu in Medicina, ſeu in Hiſtoria, ſuſtineret; denique quacunque ratione fieret pars Illuſtris Academiæ: Poſtquam, inquam, mihi id ſignificavit Vir humaniſſimus, de poteſtate mea penè exivi gaudio, non tam propter honorem & dignitatem muneris, cui planè ſum impar, ad quod Sereniſſima Tua Celſitudo me vocat, quam quia ex illo affectu Tuæ Celſitudinis in me, conjicio, imo compertum habeo, & eo nomine glorior, id quod meâ Parænesi, & nunc maximè hac opellâ molior planè concordare cum ſenſibus Tuæ Celſitudinis: nam & apertè mihi dixit Horneckius totam Rationem meæ Paræneſeos Tuæ Celſitudini ſemper

per

per placuisse: atque inde enatum, in ejus authorem, studium; & cui sanè nunc responderet, nisi obstarent, cum aliquot domesticæ rationes, tum sera ætas, quæ quotidie eum admonet, potius de discessu ex hac vita, quàm de profectione ex Anglia in Germaniam: quæ excusatio, tum officium gratitudinis meæ propter honorem, quo me Tua Celsitudo dignata est, testandæ, sunt quidem causa hujus scriptionis ad Tuam Celsitudinem, sed non potissima; ut est significatio, quanto desiderio tenear, ut, si cuiquam Principum & Dynastarum mundi, Tibi, secundum Potentissimum orbis Britannici Monarcham, probetur nova nostra Ratio, Papam ejusque imperium evertendi, & unâ eâdemque ruinâ, Religionem Ro-

manensem, totumque missaticum apparatum pessumdandi. Cum enim mea Parænesis, levis tantum esset velitatio: nec nisi obliquè & per latus Potestatis Ecclesiasticæ (quam nostra Parænesis subruit) Papam, aut feriret, aut vulneraret; hæc nova nostra Ratio, mole quidem minor, sed viribus longè major, armis utitur decretoriis & jugulum petentibus, atque uno pene ictu & vix repetito, Papæ, ejus imperio, & toti Romanensi, seu Religioni seu Ecclesiæ, vitam eripit. Verum quidem est per ruinam Potestatis Ecclesiasticæ, quam ex animis hominum nostra Parænesis evellit, etiam nullâ factâ mentione Papæ, ut nec Religionis aut Ecclesiæ Romanæ, has & illum quadam consecutione everti & ad terram dari

ri: ſed cum id non moliatur (quod nunc præſtat noſtra nova Ratio) retecta facie, Ecce nunc, Sereniſſime Princeps, prodeo in medium, non cataphractus, non circumquaque, imo ne galeâ, tectus, neque gladio, ſariſſâ & lanceâ, ſed ſolâ Davidis fundâ armatus, contra alterum Goliath: atque per fundæ marſupio exceptum ſilicem, & uno ictu conjectum & adactum in Papam, ad terram ſterno, vulnerans eum ea parte, in qua ſolùm eſt penetrabilis & mortalis; edico Regibus & mundi Monarchis qui Papæ veſtigia lambunt, ſuâ intereſſe ut non ulterius ferant in ſuis territoriis æmulum, imo ne conſortem, (aut potius Dominum) ſui imperii, qui jam per plura ſecula imperium terrenum in alieno im-

 perio,

perio, habuit, tenuit, possedit; verùm, ne fraus dispalescat, obtectum & fucatum tectorio vocabulorum Potestatis, seu Jurisdictionis Ecclesiasticæ & Spiritualis. Quocirca, Serenissime Princeps, Tuam Celsitudinem destino, figo & sepono ad hanc militiam, quâ mundi Dynastas tuos æquales qui Papam adorant tua authoritate tuisque hortationibus & admonitionibus exolvas errore personati & fucati illius Imperii seu Potestatis Ecclesiasticæ, unde acribus stimulis sacrata illa Capita fodiantur & excitentur, ad jubendum Papam, ut Romæ, non in alieno, aut imperio aut territorio, suas res habeat: Nam semel exolutis Principibus & Regibus qui sunt Papæ mancipia & instrumenta servitutis, illo deliramento Potestatis

testatis Ecclesiasticæ & Excommunicationis; hôc ipso sine armis & sanguine, ruet totus Romanensis complexus, & Ecclesiæ & Religionis, postquam illi nulla amplius aut gratia, aut authoritas accedet ab illo scenico Rege, imperioque Papali personato, suo robore, Divitiis & pompâ Illustri; à quo vilia, futilia & pretiosa, aurum, fimus, cœnum & palea, ut à sole aliquo illustrante pariter fulgent & nitescunt. Accedet illud grande commodum, quod Papâ, ejus Religione & Ecclesiâ concidentibus unâ ruinâ, ad casum Potestatis Ecclesiasticæ, exolventur Tui Theologi & Doctores labore in orbem acto desudandi totâ vitâ circa confutanda vacui capitis deliramenta, ut sunt Transsubstantiatio, Purgato-

rium, cultus Imaginum & ejusmodi sardi venales, & cui pistrino Plauti volvendo perpetuò insudabit gens sacra, quoad futilitate suæ potestatis Ecclesiasticæ liberetur; quam quidem tunicam, ut est amor retinendi imperii, & quæ, ut ait Tacitus, primo induitur & ultimò exuitur, despero fore ut ordo Ecclesiasticus, cujuscunque tandem sit Religionis, deponat; multò minus unquam adducatur ut admittat id in quo imprimis pono cardinem & arcem causæ, nempe mysterium iniquitatis, de quo St. Paulus 2 Thessal. cap. 2. duabus partibus constare: *Iniquitate* quidem, per quam jam tempore Pauli & deinceps per plura secula ordo Ecclesiasticus, mox Papa, ædificavit imperium terrenum in alieno imperio jux-
ta

ta terreno: at *myſterio*, quando hic & ille juxta illud imperium fucaverunt & incruſtaverunt vocabulis Poteſtatis Eccleſiaſticæ & Spiritualis, ne iniquitas imperii diſpaleſceret: Cum ergo deſperem futurum unquam, ut per gentem ſacram pateſiat vera natura myſterii iniquitatis, adeoque per eam ruat iniquitas imperii Papalis, per ruinam myſterii quo obducitur; quandiu gens illa ſacra excæcata eſt præjudiciis & amore ſuæ Poteſtatis perperam dictæ Eccleſiaſticæ, paria in multis facientis cum Papali; omnis ſpes quo me ſuſtento fore ut Papa eadem ruinâ, quâ poteſtas Eccleſiaſtica, ruat, ſita eſt ſecundum Deum in Regibus, Principibus & Magiſtratibus qui jam Papæ jugum excuſſerunt. Te imprimis, cui novæ noſtræ

Ratio-

Rationis expediendæ ratio & fa-
cilitas conſtat. Te, inquam
harum rerum quas tracto egre-
giè gnaro, omniſque Divini, hu-
manique juris peritiſſimo, om-
niumque penè diſciplinarum &
ſcientiarum, quibus non ſufficit
otium privatorum, cognitione
excultiſſimo: quem non obcæ-
cat imperium Papale ſuo fulgo-
re & robore, nec ſuâ pecuniâ di-
tat: quique extra cujuſquam
ferulæ Eccleſiaſticæ metum ſub-
motus ſecum habitat, ſui po-
tens, ſuorum populorum Pa-
rens & deliciæ: Cujus authori-
tate, ſi cujuſquam, permove-
rentur, non tantum Reges & Prin-
cipes ad excutiendum Papæ ju-
gum per novam Rationem quam
trado illis, ſed & tui Theologi
perducerentur ad illam arripien-
dam, atque aliis extra Palati-

natum

natum Collegis & Symmystis probandam & commendandam. Deus faciat Tuam Celsitudinem tam boni operis instrumentum, & omni benedictionum genere cumulet.

Sed antequam finio, liceat mihi Serenissimam Tuam Celsitudinem de duobus interpellare: Unum est, cum non potuerit hujus operis author suam præsentiam à Tua Celsitudine requisitam exhibere, seque tibi sistere, eam humillimè rogare, ut quam gratiam, quem favorem authori destinabas, in ejus partum velis conferre; interponendo authoritatem Tuæ Celsitudinis, ut multò ornatius & majori volumine lucem aspiciat. Namque cum hæc dissertatio offendens totum pene clerum, non sustinentem sine querela corporis sui ægram

partem

partem tangi, non potuerit nisi clam & furtim, atque extra inquisitorum notitiam excudi, factum est ut multæ labes huic libro aspersæ fuerint, nec forma grandior, Character luculentior, nec editio emendatior respondeant dignitati argumenti.

Porrò (atque id alterum est de quo debui submonere Tuam Celsitudinem) quod in Catalogo virorum omnis pene ordinis quibus impensè cupio novam nostram Rationem probari, non posuerim Serenissimam Tuam Celsitudinem, primo loco post Epistolam Dedicatoriam ad Potentissimum Monarcham; factum est, quia demum & cum jam præcedentes Epistolæ typis essent excusæ, submonuit me Vir amicissimus Antonius Horneckius de Tuæ Celsitudinis in nos studio,

unde mihi neceſſitas impoſita eſt illi mea obſequia deferendi; meamque novam Rationem, méque commendandi; quocirca æquum eſt Tuam Celſitudinem, ſeu neceſſitatem, ſeu caſum, in conſilium vertere, quaſi ſciens, prudens, & optima mente deſignaverim agmen omnium duci à Potentiſſimo Rege, at claudi à Maximo Principe.

ER-

ERRATA.

INITIO LIBRI.

PAg. 7. lin. 7. lege proficeret.
Pag. 20. lin. 5. Lege ut sequitur.
52. *Danieli Russello.*
53. *Petro Brocasio.*
54. *D. Mettayerio.*
55. *Matthæo de la Roque.*
56. *Johanni Coco.*
57. *Marco Antonio Bastidio.*
58. *Guill. Moricio.*
59. *Humfredo Vincæo.*
60. *D. Rochefort.*
61. *Ludovico de Volzogen.*
62. *Carolo Vermuyden.*
63. *Carolo Ouseley.*
64. *Nicholao Cary.*
65. *Roberto Worseley.*
66. *Thomæ Overbury.*
67. *Johanni ab Heverbek.*
68. *Baroni Goreski.*
69. *Baroni Wharton.*
70. *Principi Palatino Rheni.*

In